



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Præparamentum Logicum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)



PRÆPARAMENTVM LOGICVM PROOEMIUM.

1.  Rtificum peritiores imitatur, qui, antequam opus aggrediantur, suæ artis instrumenta parant: termini autem, propositio & syllogismus instrumenta sunt, sinè quibus nemo (quantovis excellat ingenio) rectè philosophari potest, & sanè (quod prudenter monent Facultatis Lovanienſis in Porphyrium Commentaria) *sicut frustra coneris eum docere dicere, qui nesciat loqui; neque spes est, qui latinum nesciat, hunc ornate latine dicturum; ita frustra ad Philosophiam nitentur, qui hæc instrumenta sive præparamenta præterierint. Quare sit.*

DISPUTATIO PRIMA,

De Terminis.

DUBIUM PRIMUM.

Quid sit Terminus.

II.  NTE Resolutionem. Suppono propositionem (per quam explicari debet terminus) ex tribus componi, nempe subiecto, copula & prædicato, ut *homo est animal*, ubi *ly homo* est subiectum, *ly est* copula, *ly animal* prædicatum; subiectum enim est, id quod subicitur prædi-

R. P. Francisci Bone spei Logica.

cato, sive id quod ordinatè vel inordinatè ponitur antè copulam: copula autem est vinculum prædicati cum subiecto, vel explicitè ut *homo est animal*; vel implicitè ut *homo existit*, significatum per verbum est in propositionibus tertie personæ: loquere proportionaliter de propositionibus primæ & secundæ personæ, *sum, es*, de præterito & futuro *fuit, erit*: prædicatum denique est id quod de subiecto prædicatur, sive id quod ordinatè vel inordinatè post copulam ponitur. Hoc supposito sit.

RESOLUTIO.

III. D Ico, Terminus hic est in quem resolvitur propositio. Subaudi per ablationem copulæ; quia propositionem resolvere, per se & primariò

A

est

est copulam tollere; unde Aristoteles pro exemplo termini adfert prædicatum & subiectum, non verò copulam; quare copula ut copulans non est terminus.

IV. Dices fortè primò, terminus est in quem resolvitur propositio; sed propositio etiam resolvitur in copulam, ergò copula est terminus: Consequentia patet; probatur minor, quia propositio resolvitur in suas partes, quarum una est copula, ergò &c.

V. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem distinguo antecedens, propositio resolvitur in suas partes dividentes, concedo antecedens; in suas omnes partes componentes, nego antecedens; ratio est: quia *ly resolvitur* positum in definitione termini, idem est ac dividitur; propositio verò non dividitur in copulam, quæ per divisionem aufertur; sed in duas partes remanentes: sic dicitur baculus dividi in duas partes tantum, quod alioqui semper esset falsum, quia si dividatur in unionem, in duas dividi tantum non potest, sed in tres, puta duas remanentes & unionem.

VI. Dices fortè secundò, *ly est* est copula, sed in hac propositione *est est* copula, *est est* terminus, ergò copula est terminus.

VII. Respondeo distinguendo majorem, *ly est* quatenus unio media inter prædicatum & subiectum, est copula, concedo majorem: quatenus prædicatum vel subiectum propositionis, nego majorem; potest enim *ly est* dupliciter considerari, primò formaliter ut copula, & hoc modo non potest esse terminus: secundò materialiter ut est talis entitas, & hoc modo potest esse terminus, non minus quam alia omnes entitates, etiam non significativæ ad placitum.

VIII. Instabis, propositio ut propositio, imò & syllogismus ut syllogismus, potest esse terminus, ut hic, *homo est animal est propositio*; *homo est animal* in illa propositione est subiectum: sed illa propositio involvit essentialiter copulam ut copulam formaliter, ergò copula formaliter potest esse terminus.

IX. Respondeo distinguendo majorem, si *ly ut propositio* sumatur reduplicativè & formaliter, sic ut sit sensus, propositio ut propositio potest esse terminus, potest prædicato copulari &c, nego majorem, quia ut sic dicit copulam quatenus copulantem, quæ quatenus copulans reduplicativè non potest esse copulata, terminus &c, ut patet. Si *ly ut propositio* sumatur specificativè & materialiter, sic ut sit sensus, id quod est propositio potest esse terminus, prædicato copulari &c, concedo majorem, sed quatenus ut sic copulatur, copula non sumitur formaliter ut copulans, sed materialiter pro eo, quod est copula; unde nego minorem: neque probandum videtur, quod P. Comptonus hic docet, videlicet copulam, utpote affectionem prædicati & subiecti, ac proinde prædicatum & subiectum *ut quo*, esse terminum plus quam materialiter; quia quatenus copulans quidem est talis affectio, sed quatenus copulans hoc prædicatum cum subiecto *homo est animal*, nullo modo copulatur huic prædicato *homo est animal est propositio*, ut patet.

X. Nota terminum quidem per se sonare actum, communi tamen usu factum, ut extrà propositionem dicatur terminus aptitudinalis, in propositione, actualis.

D V B I V M I I.

De Termini Divisionibus.

RESOLUTIO ET DIVISIO I.

XI. D Ividitur primò terminus in mentalem & objectivum: vocalem & scriptum.

XII. Mentalis est subiecti aut prædicati objectivi conceptus seu cognitio; plures addunt *simplex, sine affirmatione, vel negatione*, sed minus rectè quia propositio, sive mentalis, sive vocalis, materialiter sumpta est terminus, ut dubio primo vidimus. Objectivus est prædicatum vel subiectum ut intellectui obijcitur; Vocalis illud idem ut voce profertur; Scriptus ut in papyro, luto &c, scribitur.

II.

XIII. Dividitur secundò in significativum & non significativum.

XIV. Significativus est, qui ad placitum seu ex voluntate hominum aliquid significat, ut homo:

XV. Non significativus est, qui ad placitum seu ex voluntate hominum nihil significat, ut blictri. A. B. hinc.

XVI. Colliges contra Guiffen in *prodidagmaticis*, dari terminos non significativos, scilicet ad placitum; quod enim dicit blictri, imò & omnem terminum significare suum proferentem, ultrò concedimus; nec aliud volumus, quam allatam divisionem termini non esse termini in significativum connaturaliter, quomodo blictri significat suum proferentem; & non significativum connaturaliter, quomodo nullus datur terminus non significativus; ac proinde hoc quidem sensu intellecta divisio est falsa, non autem primo, quomodo intelligi debet, quia hic Philosophi agunt de vocibus, quæ sunt signa ad placitum; & alioqui dicere deberemus multos & præclaros Philosophos in re apertissima errasse, tradendo scilicet hanc divisionem tamquam veram, quæ alioqui esset falsa, quod inconveniens est.

III.

XVII. Dividitur tertio in cathegorematicum, sincathegorematicum & mixtum.

XVIII. Mixtus est, qui includit terminum cathegorematicum, & sincathegorematicum, ut nemo, semper, doctè &c. Inter quos hoc discriminis est, quod *ly nemo* & similia nomina formaliter per se possint esse pars propositionis, ut *nemo currit*; adverbia verò non nisi materialiter, ut *semper est adverbium*.

XIX. Cathegorematicus est, qui se solo aliquid perfectè significat: & formaliter sumptus potest se solo esse pars alicujus propositionis, ut Petrus, Leo.

XX. Sincathegorematicus est, qui se solo nihil perfectè significat & formaliter sumptus, non potest se solo esse pars propositionis, ut omnis, nullus. Undè.

XXI. Colliges malam esse definitionem termini sincathegorematici, quam tradunt aliqui: Terminus sincathegorematicus est qui per se nihil significat, junctus tamen aliis, illis certum significandi modum tribuit, v. g. *ly omnis*, inquirunt, junctum huic termino *homo*, dar illi modum significandi universaliter: hanc enim definitionem benè rejicit Guiffen dicendo, si terminus sincathegorematicus nihil significet, quomodo poterit alteri dare modum significandi?

gnificandi? quod tamen rejicio ulterius: in hac propositione, *nullus homo est brutum*; significatur aliqua negatio; atqui illa negatio non significatur per *ly homo*, nec per *ly brutum*, ergo per *ly nullus*, ergo *ly nullus* aliquid significat: unde formo hoc argumentum; *ly nullus* est terminus sincathegorematicus, *ly nullus* aliquid significat ex probatis, ergo terminus sincathegorematicus male definitur, quod nihil significat.

xxii. Dices primò ex P. Thoma Comptono, terminus sincathegorematicus rectè comparatur consonantibus, quæ per se non sonant, junctæ tamen vocalibus faciunt res aliter sonare ergo &c.

xxiii. Respondeo negando assumptum, quia consonantes ex instituto nihil per se imperfectè significant, magis quam blictri in communi sententia; secus termini sincathegorematici, ut vidimus. Unde fortè melius terminus sincathegorematicus compararetur chyfræ O, quæ consonantibus, quia chyfra O aliquid videtur ex instituto imperfectè significare, videlicet augmentum suprâ 1. 2. in numero 10, 20. per se tamen pro ullo numero poni non potest.

xxiv. Dices secundò, in hac propositione *nullus est adjectivum*, *ly nullus* ponitur se solo pro subiecto, sed *ly nullus* est terminus sincathegorematicus, ergo male dicitur terminum sincathegorematicum non posse se solo poni in propositione.

xxv. Respondeo distinguendo minorem. *Ly nullus* formaliter est terminus sincathegorematicus, concedo minorem; materialiter, nego minorem: in ista autem propositione *nullus est adjectivum*, *ly nullus* sumitur materialiter mixtè, directè scilicet pro suis litteris, cum indirecto ordine ad suum significatum, uti sumitur vox *homo* in hac propositione *homo est nomen*.

I V.

xxvi. Dividitur quartò in concretum & abstractum.

Terminus concretus est, qui significat compositum, vel quasi compositum ex subiecto & forma adjacente, vel quasi adjacente, ut album ex pariete & albedine, dives ex homine & divitiis.

xxvii. Dixi, quasi adjacente, quia si adjacere, adjacens esse &c, hic sumantur pro inherere, intrinsecè uniri &c, & non pro eo quod est quomodo-cumque denominando uniri, multa sunt composita ex subiecto & forma, quæ non erunt concreta, ut dives; non enim divitiæ inherent homini.

xxviii. Abstractus est, qui significat vel formam vel subiectum præcisè, ut albedo, materia, &c; ratio definitionis est, quia sicut forma potest abstrahi, præscindique à subiecto, ita è contrâ subiectum à forma.

xxix. Termini cōcreti & abstracti; alii realiter sunt tales, v.g. qui habent formâ realiter distinctâ à subiecto, ut album; alii ratione nostra tantû, v.g. qui habent formam tantum ratione distinctam, ut animal, quod significat animalitatem, & rem habentem animalitatem, quæ independentè à ratione non distinguuntur: ex dictis de termino concreto.

xxx. Collige 1. quomodo visum, capitatum &c, etiam sint concreta, quia sufficit quod concreta significant quamcumque adhaerentiam & connexionem formæ cum subiecto, v.g. actus cum objecto, partis cum toto &c. Unde ulterius.

xxxi. Collige 2. aliam dari divisionem termini concreti in concretum denominantem intrinsecè

& denominantem extrinsecè.

xxxii. Terminus denominans intrinsecè est, quando significatum formale vocis concretæ est in significato materiali, ut in concreto album, cujus significatum formale, scilicet albedo, est in materiali, v. g. in pariete.

xxxiii. Terminus denominans extrinsecè est, quando significatum formale vocis concretæ non est in materiali, ut in concreto visum, cujus formale significatum, scilicet visio, non est in pariete viso, sed in oculo.

xxxiv. Terminus concretus & abstractus subdividitur in connotativum, & absolutum.

xxxv. Absolutus concretus, est, qui præter ordinaria vocis concretæ significata, scilicet subiectum vel formam, nihil importat in obliquo, ut album substantivè vel adjectivè acceptum.

xxxvi. Nec refert, quod album adjectivè aliud terminum connotet, v. g. parietem, cum quo perfectè significat; quia id est de essentia omnis concreti adjectivi: unde album adjectivè, & sic de aliis, ita subiectum connotat, ut tamen præter illud suum ordinarium significatum, in obliquo nihil importet.

xxxvii. Absolutus abstractus est, qui præter ordinaria vocis abstractæ significata, scilicet vel formam vel subiectum præcisè, nihil importat in obliquo, ut albedo, materia &c.

xxxviii. Nec refert, quod albedo in obliquo connotet subiectum, & subiectum formam, quia id habent ex ordinario & essentiali suo significato, unde præter illud in obliquo nihil important, ideoque manent termini abstracti absoluti.

xxxix. Connotativus concretus, est, qui præter ordinaria vocis concretæ significata, in obliquo aliquid importat, ut pater, qui præter subiectum & formam connotat filium in obliquo; item, ut cognoscitivum adjectivè, quod præter subiectum, formam & terminum cathegorematicum cum quo perfectè significat, connotat objectum in obliquo.

xl. Connotativus abstractus, est, qui præter significata ordinaria vocis abstractæ, in obliquo aliquid importat, ut paternitas, quæ præter subiectum connotat filiationem in obliquo; item cognitio, quæ præter subiectum connotat in obliquo objectum.

xli. Dices ex P. Ioan. à S. Thoma, Hurtado, Arriaga, Comptono &c, terminus absolutus, est, qui significat rem per modum per se stantis, ut omne nomen substantivè acceptum; connotativus, per modum adjacentis, ut omne nomen adjectivum, ergo &c: Probabis assumptum ex Hurtado & Comptono, ratio connotativi non est sumenda ex eo, quod terminus aliquid in se vel extrâ se connotet; alioqui omnis fere terminus, ut albû, cœna, Dominus &c, esset connotativus; sed ex ordine ad adjacentiam, quæ in termino adjectivo importatur.

xlii. Respondeo, præterquâ quod *ly per modum per se stantis*, & *per modum adjacentis*, mihi sint termini valde obscuro, ut ostēdemus in Porphyrio; Tract. 2. disp. 2. de gen. juxta illas definitiones terminû absolutû, utpote per se perfectè significantè, & cōnotativû, utpote non nisi cum alio perfectè significantè (ut P. Comptonus docet) malè confundi cum cathegorematico & sincathegorematico: deinde finè fundamento & ratione recedat propria significatione absoluti & connotativi: denique juxta illas definitiones negandum esse dari rationem communem termini concreti ad concretum absolutum & connotativum,

notativum, & abstracti ad abstractum absolutum & connotativum, quibus tamen, cum sint termini concreti & abstracti, omnino convenit. Unde nego assumptum, ad ejus probationem nego antecedens, ad quod satis patet ex præmissis. P. Poncius paulo aliter terminos istos definit ajens, terminus connotativus est ille, qui significat rem relativam ut relativam; absolutus verò, qui significat rem absolutam ut absolutam: sed hæ definitiones obscuræ sunt; quia quod queritur est, quid relativum ut relativum, quid absolutum ut absolutum? vel enim P. Poncius ab absoluto excludit relativam transcendentem, ut est albedo & quælibet forma, vel non? Si sic, è formis nullus erit terminus absolutus, contra communem omnium sensum: si non, terminus absolutus erit connotativus, quod nullus dixerit.

V.

Dividitur quintò in simplicem & complexum.

XLIII. Simplex est cujus partes non sunt significantivæ per se, eodem modo, quo in compositione, ut Dominus, aliud enim est do minus, quam Dominus.

XLIV. Terminus complexus est, cujus partes eodem modo sunt significantivæ per se, atque in compositione, ut homo justus. Hic tamen

Adverte apud Logicos terminum, cujus est unica significatio, etsi plures voces, ut ros marinus, esse simplicem; terminum verò, cujus multæ sunt significantiones, etsi vox sit unica, ut nemo, esse complexum; quia Logici tantum agunt de vocibus in ordine ad significationem.

VI.

XLV. Dividitur sextò in terminum univocum, equivocum & analogum.

XLVI. Univocus est, qui significat multa ut eadem in ea ratione, quam importat, secundum illud Aristotelis cap. 2. Metaph. Univoca sunt, quorum nomen commune est, & ratio nomini accommodata eadem in univocatis.

XLVII. Equivocus est, qui significat multa ut diversa in ea ratione, quam importat; ut Gallus significans gallum gallinacium, & Gallum hominem, quibus, ut patet, in diversa significatione tribuitur; nam aliud concipio, dum gallum gallinaceum, quam dum hominem Francum concipio. Ista definitio est conformis huic Aristotelis. Equivoca sunt, quorum nomen commune est, ratio verò nomini accommodata diversa in equivocatis.

XLVIII. Analogus est, qui significat multa ut aliquid in eadem ratione convenientia: ita risus hominem & pratum viride, in ratione ridens analogicè significat.

XLIX. Dixi aliquantulum, nam homo propriè, pratum impropriè & metaphoricè ridet, quatenus scilicet sua viriditate transentem ad delectationem & risum provocat.

VII.

L. Dividitur septimò terminus in universalem & particularem.

LI. Universalis est, qui significat unam rationem communem multis, ut homo.

LII. Particularis, qui significat unam rationem particularem, ut Deus, Petrus.

VIII.

LIII. Dividitur octavo in confusum & determinatum.

LIV. Confusus est, qui aliquid vagè & indeterminatè significat, ut aliquis homo, qui non magis hunc vel illum, quàm alium significat ex modo concipiendi.

LV. Determinatus est, qui aliquid determinatè & in particulari significat, ut Deus, Petrus.

IX.

LVI. Dividitur nonò in transcendentalem & non transcendentalem.

LVII. Transcendentalis est, qui de ente cujuslibet prædicamenti prædicatur, & hujusmodi termini sex numerantur, ens, res, unum, verum bonum, aliquid, comprehensi hac voce *Rembat*.

LVIII. Non transcendentalis, qui non nisi de rebus determinatis prædicatur, ut homo, lapis &c.

X.

LIX. Dividitur decimò in finitum & infinitum.

LX. Finitus est, cui nulla præfigitur negatio infinitans, ut homo, lapis &c.

LXI. Terminus infinitus est, cui præfigitur negatio infinitans, ut non homo, non lapis &c. Pro clariori intelligentia

LXII. Nota negationem *non*, aliquando sumi infinitanter, & vocatur negatio infinitans: aliquando neganter, & dicitur negatio negans; sumitur autem infinitanter, quando cadit vel afficit tantum subiectum aut prædicatum propositionis, ut *homo est non lapis*, vel *non homo est lapis*; unde dictum est in definitione termini infiniti, cui nulla præfigitur negatio infinitans: Nam in hac propositione, *homo non est lapis*, negatio *non* neganter sumitur (id est cadit vel afficit copulam solum) & subiectum prædicatum sunt termini finiti, hinc

LXIII. Collige differentiam inter negationem infinitantem & negantem, esse in eo, quod negatio negans cadat super copulam, infinitans super extremam: item quod negatio infinitans tantum vim suam exerat in vocem cui immediate præfigitur, & ejus significatum tollat, ut v.g. *non homo* tollit significatum hominis: negatio verò negans sit tam malignantis naturæ, ut etiam vim suam exerat in vocem, cui immediate non præfigitur, ut in hac propositione *homo non est lapis*, *ly* non exerit vires in prædicatum, & facit propositionem negativam.

LXIV. Dices, *ly est* in propositione est copula, & tamen negatio illi præposita non facit propositionem negativam, sed tantum terminum infinitum, ergò &c. Probatur antecedens in hac propositione, *non est est terminus infinitus ergò &c.*

LXV. Respondeo distinguendo antecedens; *ly est* in aliqua propositione est copula, quando scilicet, est unio prædicati cum subiecto concedo antecedens; in omni nego antecedens: quia potest esse extremum propositionis, ut patet in exemplo dato, & tunc, si illi præponatur negatio, est terminus infinitus.

LXVI. Adverte tamen terminos transcendentales non posse infinitari, quia infinitati de nulla re affirmari possunt, alioqui verum esse deberet, res est non res, ens est non ens, ut consideranti patebit, quæ tamen contradictoriè repugnant.

DISPUTATIO II.

De variis Terminorum Affectionibus.

LXXVII. **N**otitia Affectionum est ad omnem argumentationem; tam texendam, quam retexendam apprimè utilis & necessaria; & sicut is, qui vim & valorem calculorum non novit (puta ut hunc vel illum locum obtinent) nec rectè calculare, nec aliorum in calculando fraudes deprehendere potest; ita nec ille, quem diversæ vocum affectiones latent, probatam argumentationem conficere, aut aliorum in argumentando fallacias solvere potest.

LXXVIII. Hæ autem Affectiones, sive accidentia vocum sunt sex; Suppositio, Status, Distractio, Ampliatio, Restrictio & Appellatio: porò hæ Affectiones nihil sunt aliud, quam varii modi, quibus voces sumuntur in varia conjunctione unius cum altera. Ut in calculis insinuatum est.

DVBIVM I.

Quid suppositio in genere.

RESOLUTIO

LXXIX. **D**ico, Suppositio in genere est acceptio vocis pro aliquo.

LXX. Dixi, pro aliquo, non autem pro alio, quia vox nihil significans ex instituto pro seipsa, quæ est aliquid; non pro alio, quod debet esse distinctum, supponi potest, ut infra patebit. Vnde colligi potest, cur non addiderim *significativa*, scilicet ex instituto.

LXXI. Non dixi in oratione, & multò minus in propositione, quia cum significatio vocis, tam extrà, quam intrà orationem & propositionem, conveniat, etiam æquivoca, uti est communis ex parte objecti, indifferenter potest, vel per mentem proferentis, vel per mentem audientis, vel per adjunctam aliam vocem aut prædicatum, ad unum determinari; cur enim potius hoc modo, quam istis? ad unum autem sic determinari, idem est, ac pro uno accipi: si autem quæras quomodò isto casu suppositio distinguatur à significatione? Respondeo à significatione actuali non distingui, quia hoc ipso quod accipitur pro aliquo, actu aliquid significat; à significatione autem aptitudinaliter significante distinguitur, sicuti prædicatum, de uno v.g. à prædicabili de multis, sive ut significans unum v.g. à significativo multorum; quia significatio aptitudinaliter significans nihil aliud est, quam vis deducendi in cognitionem eorù, quæ vox naturaliter, aut ex instituto significat.

LXXII. Petes 1. per quid differat suppositio à verificatione?

LXXIII. Respondeo differre, per hoc, quod detur suppositio extrà orationem enuntiativam, non autem verificatio. 2. Quod suppositio tantum afficiat extrema propositionis, verificatio autem totam propositionem, & ita quidem, ut in solis extremis non sit verificatio, benè suppositio. 3. Per hoc, quod detur in propositione falsa suppositio, verificatio nulla.

LXXIV. Petes 2. an dici debeat, terminus supponitur passivè, an supponitur activè?

LXXV. Respondeo, passim utrumque dici, sed melius supponitur id est accipitur: unde nota quod suppositio idem sit, quod vocis usurpatio, acceptio, usus &c. hæc enim sunt synonyma.

DVBIVM II.

Quomodò dividatur suppositio.

RESOLUTIO.

LXXVI. **D**ico, suppositio dividitur in materialem & formalem: idque juxta duo contenta in voce, 1. litteras & syllabas, quæ dicuntur materia vocis, utpotè determinabiles ad hoc vel illud significandum; 2. significationem, quæ dicitur forma vocis, utpotè litterarum ac syllabarum determinativa ad illam vel illam rem significandam; hæcque per analogiam ad materiam & formam physicam.

DVBIVM III.

Quid suppositio materialis & quomodò dividatur.

RESOLUTIO I.

LXXVII. **D**ico primò suppositio materialis est acceptio vocis pro se ipsa tantum, id est pro suis litteris, ut homo est dissyllabum; quia verò sub definitione illa omnis suppositio materialis concludi debet, & sola formalis excludi, ly *tantum* in illa definitione positum, non excludit indirectum ordinem vocis ad suum significatum, sed directum dumtaxat, quo hoc formaliter accipi debet. Vnde definitionis hic est sensus, suppositio materialis est acceptio vocis pro se ipsa sine directo ordine ad suum significatum.

RESOLUTIO II.

LXXVIII. **D**ico secundò, suppositio materialis dividitur in purè materialem, & non purè materialem seu mixtam.

LXXIX. Purè materialis est acceptio vocis pro se ipsa, sine indirecto & directo ordine ad suum significatum, ut *blittri* est *mono syllabum*.

LXXX. Non purè materialis est acceptio vocis pro se ipsa, cum solo & indirecto ordine ad suum significatum, ut *amo* est *verbum*; si enim ex institutione humana, *amo* non ad significaret tempus, nec conjugari deberet per tempora, dici non posset *verbum*, magis quam *blittri*: idem est de voce *sermo* in hac propositione, *sermo est tertiæ declinationis*, quod enim *sermo* non sit verbum, hoc illi convenit ratione significati, quod habet ex institutione hominum.

LXXXI. Petes signa suppositionis materialis.

LXXXII. Respondeo hæc tria cōmuniter adferri.

LXXXIII. 1. Si terminus nihil significet, supponitur materialiter: verum quia impossibile est dari

terminum, qui suum proferentem non significet, puto hoc addendum si terminus nihil ex instituto significet, & pro suo proferente non supponatur; supponitur materialiter; ratio est, quia ut sic non est pro quo formaliter accipitur.

LXXXIV. 2. Si prædicatum aliquod conveniat subiecto spectato secundum suas litteras, sic ut tribui non possit rei per illam significatæ, tunc subiectum accipitur materialiter. Verum, etiam hoc non placet; 1. Quia ly *homo* in hac propositione, *homo dissyllabum est ens, cognoscibile &c.*, sumitur materialiter, & tamen prædicatum convenit subiecto spectato secundum suas litteras, sic ut tribui possit rei per illam significatæ, ut Petro v.g. quia Petrus est ens, cognoscibilis &c. Item in hac propositione, *amo est verbum, amo* accipitur materialiter, & tamen prædicatum sic illi convenit spectato secundum suas litteras, ut tribui possit rei per illud significatæ, videlicet conjugabili per tempora. 2. Quia ly *homo* in his propositionibus, *homo est nomen, homo est dissyllabum*, accipitur materialiter, & tamē prædicatum tribui potest rei significatæ per vocem *homo*, ut *Petrus est nomen, Petrus est dissyllabum*: quare puto illud quod sequitur hic etiam addendum: si prædicatum aliquod non transcendens conveniat subiecto spectato secundum suas litteras, sic ut univocē tribui non possit rei, quā directē significat, accipitur materialiter.

LXXXV. 3. Terminus cui præponitur particula ly, id, *vocor*, *appellor* &c., accipitur materialiter.

DUBIUM IV.

Quid suppositio formalis, & quomodo dividatur

RESOLUTIO I.

LXXXVI. **D**ico primò, suppositio formalis est acceptio vocis pro suo significato tantum, ut *homo est currens*.

Nota per ly *tantum* in definitione positum, nos solum velle excludere directum ordinem ad ipsas litteras & syllabas, pro quibus vox materialiter accipi debet: undē definitionis hic est sensus, suppositio formalis est acceptio vocis pro suo significato sine directo ordine ad ipsas litteras & syllabas: per ly *significatum* autem in definitione positum, intelligitur quodcumque significatum à litteris & syllabis vocis condistinctum, ex his

LXXXVII. Colliges aliud hic esse accipi materialiter & formaliter, quam sit in aliis materiis: nam in aliis materiis, v.g. in hac propositione, *album est dulce*, accipi materialiter est accipi pro suo significato materiali, quod hic est accipi formaliter; accipi verò formaliter est accipi pro suo significato formali, quod etiam hic est accipi formaliter.

LXXXVIII. Petes, an non detur suppositio absoluta media inter materiale & formale?

LXXXIX. Respondeo primò negativè, quia sufficit dicere vocem sub uno respectu accipi materialiter, sub alio formaliter, ut hic, *omnis vox est monosyllaba*, vox quatenus accipitur tantum pro suis litteris, sumitur materialiter; quatenus sumitur pro hac & illa voce suis inferioribus, sumitur formaliter.

LXXXX. Respondeo secundò affirmativè, quia cum suppositio materialis definiatur acceptio vocis pro se ipsa tantum, & formalis pro suo significato tantum, & hæc sit acceptio pro utroque, commode dici potest absoluta, media inter utramque,

& mixta ex utraque.

LXXXXI. Respondeo tertio, dici posse, illam, nec esse materiale & formale simul, nec mediam absolutam, sed simpliciter materiale, quia non est acceptio vocis pro significato condistincto à litteris, qualis communiter intelligitur esse suppositio formalis.

RESOLUTIO II.

LXXXXII. **D**ico secundò, suppositio formalis dividitur in simplicem & personale;

LXXXXIII. Thomista & alii communiter suppositionem simplicem definiunt, quod sit acceptio vocis pro suo significato immediato tantum, ut *homo est species*. Per significatum immediatum sive primum & formale, intelligitur illud, ad quod significandum vox primario est instituta, sive id, quod menti audientis vocem primò occurrit.

LXXXXIV. Suppositionem verò formalem personale definiunt, quod sit acceptio vocis pro mediato significato tantum, ut *homo currit*: per significatum mediatum sive secundarium & materiale intelligunt, vel inferiora, id est, illa, de quibus vox prædicatur essentialiter; vel denominata, id est, illa, de quibus vox prædicatur accidentaliter, sed

LXXXXV. Contrà est primò, quod tam terminus singularis ut *Petrus*, quā universalis, ut *homo*, possit supponi simpliciter & personaliter, ut patebit infra

LXXXXVI. Secundò. Quod terminus habens primum significatum & immediatum, v.g. *Petrus*, possit etiam supponi simpliciter & personaliter, ut statim.

LXXXXVII. Tertiò. Vox sumpta pro suo immediato significato tantum, ut vox *Petrus* in hac propositione, *Petrus ambulat*, sumitur personaliter, non autem simpliciter, ut patebit ex conclusionibus num. 99, & 101, adferendis.

LXXXXVIII. Confirmatur, in his propositionibus *homo secundum se est animal*, & *homo est animal*, ly *homo* habet idem significatum ex parte objecti, & tamen in prima propositione sumitur simpliciter, in secunda verò, suppositione absolutà, ut vocant, id est, mediā inter simplicem & personale, vel saltem personaliter & simpliciter simul; ergò malè diversificant suppositionem simplicem & personalem pones diversa termini significata immediatum & mediatum: antecedens pro prima parte probabitur infra, Tract. 2. log. ubi ostendemus immediatum significatum vocis communis non distingui objectivè à mediato, quod hic malè supponunt; quare aliter

LXXXXIX. Suppositio simplex cum Scotò, Hurtado, Arriaga & aliis, defini debet, acceptio termini, sive singularis, sive communis, pro significato, quod habet dependenter ab intellectu, ut *Petrus est individuum logicum*, id est, *Petrus* conceptus tali conceptu individuante (quod est significatum dependens ab intellectu) est individuum logicum: item *homo est species*: ibi, est acceptio simplex termini singularis; hic, termini communis. hinc

c. Colliges, quod omnis vox, quæ supponitur simpliciter, debeat esse objectum secundæ intentionis formalis, de qua Tract. 1. log.

c. 1. Suppositio personalis est acceptio termini, sive singularis, sive universalis, pro significato quod habet independentem ab intellectu, ut *Petrus ridet*, *homo ambulat*; ritus enim & ambulatio sunt significata independentia ab intellectu.

Petes

CII. Petes primò, quare ita definierimus suppositionem personalem & simplicem?

CIII. Respondeo, quia supponi personaliter, secundum quod nominis ethimologia sonat, est supponi pro significato, quod terminò convenit secundum suam personam, non quod sola personae supponi possint personaliter, sed quod illae potissimae sint inter res, quae ita supponi possunt, a potiori autem parte sumitur denominatio, ut tamen res omnes sub illa definitione comprehenderemus, non definivimus suppositionem personalem, *acceptio termini pro suo significato, quod habet secundum suam personam*, sed pro significato, quod habet independentem ab intellectu; suppositionem vero simplicem, tamquam membrum illi oppositum, *acceptio termini pro significato quod habet dependentem ab intellectu*.

CIV. Petes secundò, an admitti debeat suppositio media, id est, absolutà, quae nec sit simplex vel personalis: vel una, quae sit simul simplex & personalis; inter simplicem & personalem?

CV. Respondeo negativè, quia quidquid supponitur formaliter, vel supponitur pro significato, quod habet dependentem ab intellectu, & sic supponitur simpliciter; vel pro significato, quod habet independentem ab intellectu, & tunc supponitur personaliter, nec assignari potest vox ulla, quae supponitur simul pro significato, quod habet dependentem, & pro significato, quod habet independentem ab intellectu.

CVI. Dices primò, vox Petrus in his propositionibus, *Petrus est ens, Petrus est conceptibilis*, supponitur tam pro significato, quod habet dependentem ab intellectu, quam pro eo quod habet independentem ab intellectu, ergò supponitur suppositione absolutà, vel saltem suppositione simplici & personali simul: probatur antecedens, quia tam sumptus pro significato quod habet dependentem ab intellectu, quam sumptus pro significato, quod habet independentem ab intellectu, est ens, conceptibilis &c.

CVII. Respondeo negando antecedens: ad ejus probationem distinguo antecedens, Petrus tam sumptus pro significato, quod habet dependentem ab intellectu, quam sumptus pro significato, quod habet independentem ab intellectu, est ens, conceptibilis &c. formaliter, & prout ista important praecisionem ab inferioribus, non prout ista absolute tali voce nominantur, nego antecedens: realiter, materialiter & identicè, concedo antecedens: sed isto sensu haec propositio, *Petrus est ens*, aequivalet huic, *Petrus est hoc individuum constans hoc corpore, & hac anima rationali*. Item haec propositio, *Petrus est conceptibilis*, aequivalet huic, *Petrus est hoc individuum &c.* Priori verò sensu haec propositio, *Petrus est ens*, aequivalet huic, *Petrus tam confuse conceptus, ut cum omni ente confundatur, & à solo non ente distinguatur, est ens*: & haec, *Petrus est conceptibilis*, aequivalet huic, *Petrus tam confuse conceptus, ut confundatur cum omni conceptibili, & solum distinguatur à non conceptibili, si detur, est conceptibilis*.

CVIII. Dices secundò: eadem vox potest sumi pro suo immediato & mediato significato, ergò & supponi simpliciter & personaliter simul, ergò datur suppositio simplex & personalis simul: probatur antecedens in voce Petrus in hac propositione, *Petrus est ens formaliter & identicè seu realiter*, ergò &c.

CIX. Respondeo negando consequentiam, quia suppositiones simplex & personalis, non sufficienter diversificantur pones immediatum & mediatum significatum vocis, pro quo vox supponatur, ut con-

stat ex dictis à num. 93. ad 99.

CX. Suppositio personalis subdividitur in essentialem, & est acceptio termini &c.; pro significato essentiali independentem ab intellectu, ut *Petrus est corpus*; & accidentalem, & est acceptio termini &c.; pro significato accidentali independentem ab intellectu, ut *Petrus est quantus*.

CXI. Petes tertio, an rectè Arriaga in summulis dividat suppositionem personalem in singularem, quam definit: *acceptio termini singularis pro suo significato singulari*; & communem, quam definit: *acceptio termini communis pro suo significato communi*.

CXII. Respondeo negativè, quia sicuti non datur significatum commune independentem ab intellectu, ita nec acceptio personalis termini pro suo significato communi, nam haec, ipsomet Arriaga loco citato eam definiente, est *acceptio termini ad significandum id quod res habet secundum se*, id est, independentem ab intellectu; Vnde illa suppositio personalis communis, erit personalis, & non erit: erit, ut supponit ipse, non erit, quia non erit acceptio termini pro significato, quod habet independentem ab intellectu.

D V B I V M V.

Quid descensus Logicus, & quae illius species.

R E S O L U T I O I.

CXIII. Dico 1. descensus Logicus est argumentativa progressio ab universali ad particularia sufficienter enumerata; ut *omnis homo est animal*, ergò *Petrus est animal*, ergò *Paulus est animal*, & sic de cæteris, ergò *omnis homo est animal*.

CXIV. Dixi, sufficienter enumerata, quia, si vel unū tantū omittatur, descensus fuisset falsus, nā si numerando Apostolos solum Iudam omittendo, dicas, *Petrus est praedestinatus, Paulus est praedestinatus, & alii novè sunt praedestinati*, ergò *omnes Apostoli sūt praedestinati*; non sequitur, quia Iudas non est praedestinatus.

CXV. Petes, quid sit ascensus Logicus?

CXVI. Respondeo, est argumentativa progressio à particularibus sufficienter enumeratis ad universale: ut *Petrus est animal, Paulus est animal, & ceteri sunt animal*, ergò *omnis homo est animal*.

R E S O L U T I O II.

CXVII. Dico 2. descensus Logicus est quadruplex, Copulativus & Copulatus, Disjunctivus & Disjunctus.

De descensu Copulativo.

CXVIII. Dico descensus Copulativus, vel, ut aliū, Universalis & Distributivus, est, qui fit ab universali ad omnia particularia seorsim sumpta, id est, in diversis propositionibus explicite, vel implicite; ut *omnis homo est animal*, ergò *Petrus est animal*, ergò *Paulus est animal*; ibi explicite: hic implicite, ergò & *Petrus, & Paulus & ceteri sunt animal*.

CXIX. Descensus Copulativus est duplex, unus completus & absolutus, & est ab universali ad omnia particularia generum & specierum; ut *omne animal est sensitivum*, ergò *omnes canes, omnes boves &c. sunt sensitivi*. Alter accommodus & incompletus, qui est ab universali ad omnia genera vel species, non verò ad omnia particularia; ut *omne animal fuit in Arca Noè*, ergò *fuit aliquod animal cujusque speciei in Arca Noè*; non verò omnia individua cujusque speciei vel generis: nam nostra felis in ea non fuit.

cxx. Descensus Copulativi varia sunt signa.

cxxi. Primum: subjectum, quod afficitur signo universali affirmativo; supponitur copulativè, ut in hac propositione, *omnis homo est animal*, ly *homo* sumitur copulativè: subaudi, nisi signum universale per negativum impediatur; ut hic, *non omne animal est homo*, quia sensus est, *aliquod animal non est homo*.

cxxii. Secundum: utrumque extremum propositionis negativæ supponitur copulativè; ut nullus homo est lapis.

cxxiii. Tertium: terminus communis, qui est casus obliquus termini comparativi, vel superlativi alicujus distincti specie, sumitur copulativè, ut *Leo est homine fortior*, non autem homo est homine fortior, quia homo ab homine specie non distinguitur.

cxxiv. Quartum: prædicatum cuius subjectum afficitur particula exclusiva *solus*, vel simili, sumitur copulativè; ut *solus homo est philosophus*, tantum homo est ridens, quia æquivaleret isti, *omnis philosophus est homo*, *omnis ridens est homo*.

cxxv. Quintum: terminus communis, supra quem cadit particula exceptiva, *præter*, vel similis sumitur copulativè; ut hic ly *homo*, *omne animal præter hominem est irrationale*.

De Descensu Copulato.

cxxvi. Descensus copulatus est ab universali ad omnia particularia simul, id est, in eadem propositione; ut *omnia elementa sunt quatuor*, ergo *ignis, terra, aqua, & aer sunt quatuor*: non autem seorsim, ergo *ignis est quatuor*; ergo *terra est quatuor* &c.

cxxvii. Signa descensus copulati sunt.

cxxviii. Primum: subjectum, cui tribuitur prædicatum numerum significans, sumitur copulativè; ut ly *elementa* supra.

cxxix. Secundum: ubi prædicatum significat actionem, vel effectum, qui singulis subjecti inferioribus vel denominatis tribui non potest, etiam sumitur copulativè; ut *tres pedes mensam sustinent*, *homines ubique vivunt*: non enim dici potest, *unus pes sustinet mensam*, *Petrus ubique vivit*: sed *tres pedes*, *Paulus*, *Petrus* &c.

De Descensu disiunctivo.

cxxx. Descensus disiunctivus sive determinatus, est ab universali ad aliquod particulare determinatum, id est, quod determinate assignari possit, ut *homo ambulat*, ergo *Petrus ambulat*.

cxxxi. Dices, per illam definitionem non satis distinguitur descensus disiunctivus à copulativo, quia uterque est à termino universali; & sub copulativè sumpto, possum descendere ad aliquod determinatum particulare, ut hic, *omnis homo est animal*, ergo *Petrus est animal*, ergo &c.

cxxxii. Respondeo negando antecedens: ad probationem ejus respondeo utrumque quidem esse à termino universali; sed ab hoc per utrumque diversimodè ad particularia descendi; nam per copulativum ad omnia seorsim descendere possum; per disiunctivum ad unum vel aliquod tantum.

cxxxiii. Signum descensus disiunctivi sit.

cxxxiv. Si terminus, qui supponitur, importet rationem, quæ non nisi uni individuo determinato tribui potest, sumitur disiunctivè; ut ly *homo* hic, *homo ambulat*, dato quod solus Petrus ambulet.

De Descensu disiuncto.

cxxxv. Descensus disiunctus sive indeterminatus & confusus, est ab universali ad particulare indeterminatum, id est, quod determinate designari non potest, ut *aliqua navis est necessaria ad navigandum*; *debeo tibi centum oves*; oportet habere equum ad equitandum: unde falsa est propositio, *hec navis est necessaria ad navigandum*, quia illa sufficit, & sic de aliis.

cxxxvi. Signa Descensus disiuncti.

cxxxvii. Primum: à termino, qui sequitur verba *desidero*, *promitto*, *ego*, *cupio*, *debeo*, & similia internas animi affectiones indicantia, descenditur disiunctim indeterminatè & confusè; ut *ego pecuniâ*, scilicet, *hanc vel illâ*, non hæc determinatè.

cxxxviii. Dicit aliquis, in Monte Pietatis non recipitur nisi pecunia regia, ergo qui habet ibi chlamydem oppignoratam, eget pecuniâ regiâ, ut eam exoppignoret.

cxxxix. Respondeo distinguendo consequens: eget pecuniâ regiâ, hac determinatè, ut nimirum sint partes trium assium (nisi ita conventum esset, quo casu per accidens à voce consequente verbum *debeo*, non descenderetur disiunctim, sed determinatè) nego consequentiam; hac vel illa, concedo consequentiam.

cxl. Secundum: à termino affecto uno horum verborum oportet, requiritur, *necessum est* &c., descenditur disiunctim, sive indeterminatè; ut in exemplo supra Chyf. 137.

cxli. Petes, cur non definiamus descensum disiunctivum & disiunctum, ut communiter definiiri solent, scilicet,

cxlii. Descensus disiunctivus est ab universali ad inferiora vel denominata disiunctivè enumeranda per particulam disiungentem integras propositiones; disiunctus est ab universali ad particularia disiunctim enumeranda per particulam disiungentem tantum partes propositionis.

cxliii. Respondeo, quia per illas definitiones descensus disiunctus non satis distinguitur à disiunctivo: nam ab hoc termino universali, *navis est mihi necessaria ad navigandum*, possunt particularia enumerari disiunctivè hoc modo, *vel navis A est mihi necessaria*, *vel navis B est mihi necessaria*; nec inter hos descensus dabis differentiam, nisi ad nostras definitiones confugas.

Regule generales harum Suppositionum.

I.

cxlvi. Non tam debent attendi signa, quam modus significandi signorum, qui ex usu, intentione loquentis & particulis, quibus subiecta limitantur, attendenti patebit.

cxlvii. Ratio 1. est; quia signa sæpè fallunt nos, ac decipiunt; ut 1. ly *aliquis*, quod non semper facit subjectum particularis affirmativæ (quod tamen communiter docetur) sumi disiunctivè; sed quandoque patitur sumi disiunctim; ut hic, *aliqua navis est necessaria ad navigandum*. 2. ly *omnis*; dicitur enim communiter à prædicato universalis affirmativæ descendendi disiunctim, sive confusè, cum tamen sæpè possit descendendi copulativè; ut hic, *omnis homo est rationalis*, ergo *Petrus est rationalis*, ergo *Paulus est rationalis*.

Dixi

CL. Dixi *sepe*, quia, ubi in propositione universalis prædicatum est genus, aut differentia generica &c., non recte descenditur copulativè à prædicato ad ejus inferiora, ut patet ex hac propositione, *omnis homo est animal*; non enim recte dicitur, *ergo omnis homo est omne animal*, cum tamen omnivoci copulativè sumptæ liceat præferre signum *omne*, ut in allata propositione, *omnis homo est rationalis* fit; nam recte dicitur, *omnis homo est omne rationale*. 3. denique, etiam communiter docetur particulas exclusivas *Solus*, *Tantum*, & Similes, facere ut subjectum propositionis exclusivæ sumatur disiunctim; fieri tamen potest, ut sumatur disiunctivè, ut hic *solus homo est philosophus*, *ergo vel Aristoteles est philosophus, vel plato est philosophus*.

CL. Ratio 2. est quod hæc attentio sit longè facilior, quam signa, quæ adferri solent; nam ut experientia docet, ista signa obruunt memoriam; & minus certa sunt, ut constat ex prima ratione.

CL. Dices, ergo superflua sunt signa, & frustra tradita.

CL. Respondeo negando consequentiam, quia non diximus ad ea nullo modo debere attendi, sed non tantum, quantum ad modum significandi terminorum. Deinde si benè expurgentur ab omni fallacia, multum prodesse possunt iis, qui sunt felices memoriæ.

CL. A voce simpliciter sumpta quandoque descenditur ad particularia.

CL. Ratio est: quia voces *homo* & *animal* in hac propositione, *homo est animal*, sumuntur simpliciter, & sub iis sic descenditur ad particularia, *ergo Petrus est hoc animal*, *ergo Paulus est hoc animal* &c. Vide definitionem suppositionis simplicis supra.

CL. A voce materialiter sumpta non descenditur ad particularia, nisi suppositionem materialem latius sumas, puta ut est media inter materialem & formalem, vel prout est materialis & formalis simul. Ut ly *vox* hic, *omnis vox est nomen* ergo hæc vox est nomen.

CL. Ratio Regulæ est, quia vox, à qua descenditur ad particularia, debet dicere directum ordinem ad particularia significata; vox autem materialiter strictè sumpta, ut patet ex ejus definitione, ad sua significata directum ordinem non dicit.

CL. Non licet descendere à termino non distributo in antecedente ad distributum in consequente, ut *aliquis homo scribit*, *ergo omnis homo scribit*. Nam, præterquam quod consequens in bona argumentatione debeat contineri in antecedente (quod hic non fit) patet illationem esse falsam ob limitationem subjecti per prædicatum *scribit*.

CL. Ab universali distributo ad particulare benè sequitur, ut *omnis homo est rationalis*, *ergo Petrus est rationalis*.

CL. Petes, quotuplicia sint signa, sive voces, quæ terminis categorematicis superaddita, eorum suppositionem & significationem modificand.

CL. Respondeo esse multiplicia: alia enim sunt affirmativa, ut *omnis*, *aliquis*; alia negativa, ut *nullus*, *neuter*; alia universalis, ut *omnis*, *nullus*; alia particularia, ut *aliquis*, *aliquis non*: de horum signorum potestibus seu virtutibus alii prolixius, nos verò quantum utilitas fuisset, aliquid de illis inter Signa Descensuum attulimus.

D V B I V M V I.

Quid Status, Distractio, Ampliatio, Determinatio, & Appellatio.

RESOLUTIO I.

CLXII. Dico 1. Status, qui à stando in tempore per copulam significato dicitur, est acceptio vocis pro re ut existente in ea temporis differentia, quæ per copulam ordinariam importatur; ut *paries est albus*, ubi status est præsentis temporis; potest tamen etiam esse præteriti, ut hic *Petrus fuit occisus*, & futuri, ut *Antichristus nascetur*.

CLXIII. Dixi copulam ordinariam, quia extraordinariæ & accessoriæ non habetur ratio; ut hic, *Petrus est videns hominem*, *qui est albus*; ultimum est est copula extraordinaria & accessoria, cujus proinde in ordine ad statum non habetur ratio.

CLXIV. Nota, propositiones accidentales contingentes posse habere statum, ut hæc, *paries est albus*; quia tantum verum est, *paries qui est, est albus*; haud verò *paries qui fuit, vel erit*: non tamen omnes, quia hæc, *Petrus est mortuus*, *domus est combusta*, non habent statum; nam falsum est, *Petrus qui est, est mortuus*; *domus que est, est combusta*: Sed habent distractionem, ut statim patebit, quia *Petrus qui fuit, est mortuus*; *domus que fuit, est combusta*.

CLXV. Nullæ essentielles possunt habere statum, quia veritas illarum à nullo tempore pender, sed est æterna; unde dicuntur absolvi à tempore, & solam connexionem essentialem prædicati cum subjecto importare; veritas verò propositionum, habentium statum pender à determinato tempore, ut patet ex definitione Status.

RESOLUTIO II.

CLXVI. Dico 2. Distractio est acceptio vocis pro re ut existente in alia temporis differentia, quam importet copula ordinaria; ut *Petrus est mortuus*; *domus est combusta*; *Cæci vident*. Solum enim petrus, qui fuit est mortuus &c.

RESOLUTIO III.

CLXVII. Dico 3. Ampliatio est acceptio vocis pro re ut existente in pluribus temporis differentiis, quam per copulam ordinariam importentur; ut *Petrus studuit*, scilicet, *qui est, vel fuit*.

CLXVIII. Hæc propositiones, *album fuit nigrum*, *senex fuit puer*; *fructus erit flos*: In rigore quidè sunt falsæ, quia album ut album nullo tempore fuit nigrum, nec manens album potuit esse nigrum: Deinde senex ut senex numquam fuit puer, id est, senex numquam fuit senex simul & puer: denique fructus ut fructus, seu manens fructus, numquam erit flos; citrà ampliacionem verò talis est istarum propositionum sensus: illæ tamen propositiones per ampliacionem veræ sunt, cujus

CLXIX. Ratio 1. est: quia in propositione, cujus copula ordinaria est præteriti temporis, subjectum ampliatur ad præsens & præteritum, ac proinde duarum primarum propositionum hic est sensus, *album quod est, vel fuit, fuit nigrum*; *senex qui est, vel fuit, fuit puer*.

2. Quia

CLXX. 2. Quia subiectum propositionis, cuius copula ordinaria est futuri temporis, ampliatur ad præsens & futurum, ac proinde ultimæ propositionis hic est sensus, *fructus qui est vel erit*, scilicet in mense Iulio, *erit flos*, puta in mense Iunio, quod est apertè verum; simili sensu dic hanc propositionem esse veram *meretrix erit virgo*.

CLXXI. Adverte pro communi regula Statûs, distractionis & ampliacionis, maxime attendendum ad modum loquendi & tempus, quo verum est, id quod affirmatur vel negatur: nam quod aliqui tradunt pro regula impliationis subiectum propositionis, cuius copula ordinaria est futuri temporis, ampliari ad tempus præsens & futurum, non semper verum est; ut hic, *Antichristus nascetur*; Antichristus enim *qui est*, non nascetur.

RESOLUTIO IV.

CLXXII. Dico 4. Determinatio est restrictio termini à majori ad minorem significationem per adjunctionem vocis determinativæ voci determinabili; ut *animal homo est rationale*, ibi *animal* superius per *hominem* suum inferius determinatur; quo enim aliquid magis recedit ab hæccitate, eò per plures differentias est determinabile; & è contrà, quo aliquid magis recedit à nudo, conceptu entis, eò magis determinatum est. Determinationes autem sunt variæ, ut hic, *homo debilis labitur*, substantivum per adjectivum determinatur; *equus patris est tardus*, ibi per casum obliquum.

CLXXIII. Dixi, ad minorem significationem, quia determinatio principaliter stat pro restrictione, quæ est coarctatio termini à majori ad minorem significationem: sumitur tamen aliquando pro diminutione, quæ est coarctatio termini ab absoluta significatione ad significationem secundum quid, per additionem alicujus dictionis; ut, *ethiops est albus secundum dentes*: Item etiam pro alienatione, quæ propter vocem additam est termini à propria ad impropriam significationem translatio; ut, *Leo marmoreus, canis pictus*.

RESOLUTIO V.

CLXXIV. Dico 5. Appellationem ferè confundi cum prædicatione, quia est quædam determinatio vocis substantivæ per adjectivam, ut *Ioannes est magnus Philosophus*: Multi multas tradunt regulas, ut dignoscant an *ly magnus* appellet *Ioannem*? ut sit sensus, *Ioannes, qui est magnus, est philosophus*; an verò *Philosophia*? ut sit sensus, *Ioannes est magnus Philosophia*: sed illæ sunt superflue, cum id ex tono, & modo, quo propositio profertur, & aliis præsentibus circumstantiis facillimè dignosci possit.

Nota tamen inter argumentandum non licere mutare appellationem, transendo ab appellatione prædicati ad appellationem subiecti; nam, non sequitur, *Ioannes est magnus Philosophus*, supposito quod *ly magnus* appellet *Philosophiam*, ergo *est magnus*. Committitur etiam æquivocatio in voce *magnus*.

DISPUTATIO III.

De Argumentatione & ejus Speciebus.

CLXXVI. Quidam propositiones sunt prima Argumentationis elementa; propositionum verò Signum, Nomen, Verbum & Oratio: circa hæc dubia nonnulla sunt antequàm de illis agamus, præmittenda. quare sit

DVBIVM I.

Quid Signum & Quotuplex.

CLXXVII. Antè Resolutionem. Suppono signum hic spectari prout commune est naturali & artificiali sive ex instituto: formali & instrumentali, in quæ passim dividitur; alioqui, si restringatur ad nonnulla rerum naturalium instrumentalia signa, rectè definitur ab August. lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 1. *Id quod præter speciem quam sensibus ingerit, in alterius rei cognitionem venire nos facit*: quia illa sola speciem sensibus ingerunt. Hoc supposito sit

RESOLUTIO I.

CLXXVIII. Dico 1. signum prout commune est &c, rectè definitur, quod *cognitum ducit nos in cognitionem alicujus*.

CLXXIX. Dixi, quod *cognitum*, puta ut *quo* vel ut *quod*; quia si formale, est semper ut *quod* cognitum, sive cognitio alterius materialis aut spiritualis. Si

instrumentale, quæ tale semper cognoscitur ut quod, ut infra monstrabitur.

CLXXX. Dices, *ly cognitum* est superfluum in definitione ista, sufficitq; signum in genere cum P. Ariaga Logicæ disp. 13. Sect. 1. hoc modo definire: *signum est id quod in alicujus rei cognitionem venire nos facit*. ergo &c.

CLXXXI. Respondeo 1. negando assumptum pro prima parte; quia, ut statim dixi, omne signum ut cognitum, saltem ut *quo*, ducit nos in cognitionem alicujus.

CLXXXII. Respondeo 2. etiam negando assumptum pro secunda parte: vel enim illud *id quod*, facit nos, id est, intellectum nostrum, venire in cognitionem alicujus rei ut cognitum, vel non ut cognitum? non secundum, quia cum intellectus non nisi cognoscendo moveatur & fiat veniens in cognitionem; sic ut ipsius moveri & in cognitionem venire sit cognoscere, nihil potest facere intellectum nostrum venire in alicujus rei cognitionem, nisi cognitum: Si primum, habemus intentum. Deinde da visionem labari rubri nos ducere in cognitionem vini rubri venalis; peto an visio labari non magis per se cognita, quam labarum per se sit cognitum, ducat nos in cognitionem vini rubri venalis? an per se cognita ut *quo*? si primum, non magis, ut patet, nos ducit in cognitionem vini rubri venalis, quam labarum per se cæcos in cognitionem illam ducat: si secundum, habemus intentum. An autem omnis cognitio, etiam materialis, sit supra seipsam reflexa: parum

sum ad salvandam nostram definitionem interest; nihil tamen absurdum (quidquid in contrarium communis) si dicatur talis ex eo, quod quælibet forma sibi det essentialiter, quod aliis dat accidentaliter, de quo alibi: unde objectum visionis, extrinsecum quidem erit color, intrinsecum verò ipsa visionis intrinseca; propter quod dixi in definitione *alicujus*, & non *alterius*, super quæ non reflectit obiciens, debet enim ipsius definitio in nostram incidere, vel loco *alicujus* debet ponere *alterius*, quia omne signum, quod per se facit venire in cognitionem sui ipsius, per se est cognitum, ut dicta consideranti patebit. Si verò ponat *alterius* cum P. Poncio Logicæ disput. 19. nu. 8. tunc excludit cognitionem, quæ est sui ipsius signum, ut cognitio sui ipsius.

CLXXXIII. Adde signum sonare actum, ut patet ex ipsius definitione: nihil tamen obstat agnoscere signa aptitudinalia, & in actu primo, dum nihil actu significant, & talia sunt voces, dum à non intelligente proferuntur, leguntur aut imprimuntur; unde latius quidem patet loqui, quam significare in actu secundo, non verò quam significare in actu primo, quæ non satis distinguit Pater Thomas Comptonus disput. 42. Logicæ Sect. 3.

RESOLUTIO II.

CLXXXIV. **D**ico 2. Signum rectè dividitur in naturale & ad placitum, sive ex instituto, vel ut alii, artificiale.

CLXXXV. Signum Naturale est, quod ex natura sua & independentè ab humana institutione ducit nos in cognitionem alicujus; ut fumus respectu calidi & humidum, non verò respectu ignis (ut communiter) quia ignis ut ignis fumum non facit, & fœnum non ignitum paulò ante quam per Antiperistasis ignem concipiat, suum fumum excitat; item & cervisia recens cocta &c.

CLXXXVI. Signum ex instituto est, quod ex institutione humana ducit nos in cognitionem alicujus, ut scopæ antè fores appensæ respectu cervisiæ venalis; poculum stanneum respectu vini.

CLXXXVII. Subdividitur autem signum ex instituto in Reale, Vocale, & Scriptum. Reale est, quod neque est vox, neque scriptura, ut dictæ scopæ: Vocale est, quod est vox ore hominis prolata, ut voces, quæ licet omnes ex natura sua suum proferentem significant, non tamen omnes aliquid ab eo distinctum connaturaliter significant; sed aliquæ ex instituto, quod volens per experientiam probare quidam ex antiquissimis Philosophis Diodorus, nominibus conjunctionum suos famulos appellavit, ita ut unum *quare*, alium *quia*, unum *atque*, alium *ergò* vocaret: aliquæ connaturaliter, ut tinnitus sonû campanæ, tarantara tubæ; dictæ enim voces dictos sonos connaturaliter significant, & è contrâ; vix tamen plures similes invenies. Scriptum est, quod est vox scripta.

CLXXXVIII. Dices ex R. P. Telles Logicæ disput. 9. Sect. 1. canis herum sequens multos ducit in cognitionem heri præcedentis: Item mappæ appositæ, sunt signa prandii, & tamen nec sunt signa ex natura, nec ex instituto: ergò divisio illa non est adæquata.

CLXXXIX. Respondeo signa illa esse ex instituto, non quidem communi, sed privato certarum personarum & Provinciarum: si quis enim canem semper

abegisset, non sequeretur, & si mensa semper strata teneretur, mappa prandium non significaret, potius quam merendam.

RESOLUTIO III.

CLXXX. **D**ico 3. Signum rectè etiam dividitur in formale & instrumentale.

CLXXXI. Signum Formale est, quod immediate per se ipsum, sive nullà mediante sui cognitione realiter à se distinctà cognitum, ducit nos in cognitionem alicujus; ut prima intentio, sive visus, sive intellectus, in objectum, ut manifestum est ex Responsione ad objectionem Resolutione 1. factam. Per quam hæc definitio signi formalis, *signum formale est, quod sine sui cognitione in alicujus rei cognitionem nos ducit*, confirmatur.

CLXXXII. Dices ex R. P. Poncio disput. 19. cit. num. 2. ludicrum est dicere, quod cognitio ducat in cognitionem, quod per illam definitionem asseritur, ergò &c.

CLXXXIII. Respondeo negando assumptum, quia sicut ludicrum non est, quod forma essentialiter retineat, quod aliis dat accidentaliter, ita ludicrum non est, quod cognitio ducat cognoscentem essentialiter in cognitionem sui, cum sic sit alio um ut cognitorum cognitio accidentaliter, ut sit sui cognitio essentialiter. Vide dicta Chyf. 182.

CLXXXIV. Signum instrumentale est, quod aliquà mediante sui cognitione à se realiter distinctà, ducit nos in cognitionem alicujus, ut scopæ respectu cervisiæ venalis; Species impressa respectu sui objecti, nam illa non ducit nos in cognitionem objecti, nisi mediante sui cognitione ut quo. hinc

CLXXXV. Colliges idem signum, respectu ejusdem cognoscentis, posse esse formale & instrumentale ejusdem; omnis enim prima intentio formalis, suprà quam reflectit secunda formalis existens in eodem intellectu, est tale signum; formale quidem quatenus præcisè intellectum ducit in cognitionem sui objecti per se ipsam, sive nullà mediante &c; instrumentale verò, quatenus ducit in cognitionem sui objecti mediante secunda formali à se realiter distinctà.

CLXXXVI. Dixi, mediante sui cognitione &c, quia alioqui P. Poncius loco citato per hanc suam signi instrumentalis definitionem, *signum instrumentale est id, quod cognitum ducit in cognitionem alterius*, non excludit signum formale, ut v. g. primam intentionem respectu sui objecti, quia cognitum respectu illius ducit in cognitionem alterius; secundum omnes tamen, qui signa formalia agnoscunt, respectu illius est signum formale.

RESOLUTIO IV.

CLXXXVII. **D**ico 4. Signum non malè ultimò dividitur in signum à priori, ut causa respectu effectus necessarii; à posteriori, ut effectus respectu causæ necessariæ; & à proportionem, ut statua respectu Cæsaris, propter proportionem quantitatis & dispositionis colorum.

QVÆSTIVNCVLA

Quid, & Quomodo Signa Realia, vocalia & scripta significant.

RESOLUTIO I.

CLXXXVIII. **D**ico 1. Signa Realia significant primariò & immediatè res ipsas, ad quas significandas sunt instituta, conceptum verò instituentis secundariò & mediatè.

CLXXXIX. Probatur prima pars: quia ad eas primariò & immediatè significandas sunt instituta, ergò &c. Colligitur 1. veritas antecedentis, Ex eo, quod qui ad fores suas scopas appendit, primariò & immediatè intendat transeuntem ducere in cognitionem cervisiæ venalis, sicut primariò & immediatè intendit cervisiæ vendere, & ex ea vendita lucrum reportare; non verò conceptum suum manifestare, quandoquidem ex ejus manifestatione, lucrum, quod prændit, nequeat reportare.

Colligitur 2. quia, qui sitit, & videt scopas foribus appensas, vadit & petit cervisiæ primariò & immediatè, sicuti primariò & immediatè prændit suam sitim extinguere; non verò conceptum illas appendentis, cum per illum suam sitim extinguere non possit, sed

cc. Dices quid si is, qui scopas appendit, intenderet vapulare debere omnem illum, qui ad talem domum accederet? numquid inde sequitur quod hic vapulando suam sitim extinguere deberet; ac proinde imprudenter facere, si prius & primariò ad conceptum appendentis non attenderet? ergò signum reale significat primariò & immediatè conceptum.

ccI. Respondeo, transeat antecedens, nego sequelam, videlicet quod talis imprudenter ageret, nam is ageret juxta consensum & institutionem communem, secundum quam scopæ foribus appensæ in Flandria significant cervisiæ venalem; ille verò autoritate privata, quæ communi institutioni prævalere non potest; unde duplum recipere deberet.

ccII. Secunda pars patet, quia signa realia omne illud significant in cujus cognitionem nos ducunt, sed etiam nos ducunt in cognitionem conceptus instituentis, ut experimur, & illum primariò ac immediatè non significant, ergò secundariò & mediatè.

RESOLUTIO II.

ccIII. **D**ico 2. Signa vocalia five voces, etiam primariò & immediatè respectu audientis significant res ipsas, ad quas significandas sunt instituta, conceptum verò proferentis secundariò & mediatè.

Dixi respectu audientis, quia respectu proferentis possunt primariò & immediatè res vel conceptus significare, prout fuerit intentio proferentis.

cciv. Probatur Resolutio pro prima parte, quia ad eas primariò & immediatè significandas sunt instituta, ergò &c. Veritas autem antecedentis hujus probationis.

ccv. Colligitur primò ex eo quod, qui in sylva super quercum existens videt lupum famelicum & furibundum ire obviam peregrino, clamans *fuge a-*

mice, ecce lupus famelicus & furibundus tibi obviam venit, intendat primariò & immediatè peregrinum ducere in cognitionem rerum significatarum per illas voces, ergò illas primariò & immediatè significant; alioqui adhiberet alia signa eas primariò & immediatè significantia, ut tantum nocumentum à proximo certius removeret.

ccvi. Colligitur 2. Ex eo, quod peregrinus audiens prædictas voces, parum attendens ad conceptum clamantis, verusne, an delusorius sit, sibi præcaveat, & quam citissime fugiat, aut arborem conscendat, quod non faceret quin ad conceptum clamantis attenderet, si illum primariò significaret.

ccvii. Colligitur 3. quia qui Atheum docet Deum esse, non intendit primariò & immediatè eum docere se habere conceptum de existentia Dei, sed existentiam Dei primariò & immediatè per illas voces significatam, sine cujus notitia salvari non potest; ergò illas primariò & immediatè significant, alioqui alia signa adhiberet eam primariò & immediatè significantia, ut ipse de tam necessaria charitate præstita certior fieret.

ccviii. Colligitur 4. quia signa vocalia inventa sunt ad significanda primariò & immediatè sensibilibus, quod nostri conceptus primariò & immediatè insensibilibus & spiritualiter significant; nam substituantur loco conceptuum juxta Aristotelem primo de Interp. cap. prim. *ea quæ in voce versantur, signa sunt affectuum, qui in anima sunt*: Sed conceptus primariò & immediatè significant res, ut Resol. 1. vidimus, ergò &c.

ccix. Colligitur 5. ex Aristotele, qui sæpè dicit voces poni loco rerum in argumentatione, & nominatim lib. cit. cap. ultimo de propositione vocali dicit, *ab eo quod res est vel non est, propositio est vera vel falsa*; ergò significant primariò & immediatè res, alioqui dicere debuisset, *ab eo quod conceptus est vel non est, propositio est &c.*

ccx. Nec dicas primò. Saltem hæ voces *conceptus, cognitio* &c. Non significant primariò & immediatè res: nam per rem hic intelligimus aliquid realiter distinctum ab actu, quo representatur, alioqui frustra quæreretur, an voces primariò & immediatè res? an conceptus significant? significata verò istarum vocum *conceptus, cognitio* &c. cum seipsa representent, ut summum esse possunt aliquid realiter distinctum ab actu reflexo, ad quem se habent, sicut alia res ad directum.

ccxi. Nec dicas 2. quod si voces non significant primariò & immediatè conceptus, nullum fore mendacium: nam mendacium non sumitur ab eo quod voces hoc vel illud primariò & immediatè significant, sed ab eo quod loquens intendat voces substituere loco conceptuum, quibus contrarios habet.

ccxii. Secunda pars probatur uti Resol. 1. & Aristotele statim citato.

RESOLUTIO III.

Antè Resolutionem.

ccxiii. **S**uppono signum scriptum esse duplex, unum constans litteris tamquam materia, & significatione tamquam forma: alterum constans folis punctis, lineolis, picturis &c. & vocatur Hieroglyphicum; talia sunt scripturæ Iaponicæ & olim hebraicæ, idem dic de chyfra. 1. 2. 3. 4. hoc supposito.

Dico 3.

ccxiv. Dico 3. Signa scripta constantia litteris &c. primario & immediate significant voces.

ccxv. Probatur, quia signa scripta primario & immediate significant id, quod ipsa legenti primario & immediate occurrunt; atqui legenti hæc signa scripta, *album, brutum, &c.*; primario & immediate occurrunt voces *album, brutum, &c.*; ergo &c.; veritas minoris.

ccxvi. Colligitur ex eo, quod legendo pronuntiat *album, brutum, &c.*, non autem significatur *album, scilicet habens albedinem, nec significatur brutum, scilicet habens brutalitatem, nec conceptus scribentis, quod alioqui fieri deberet.*

ccxvii. Obicies 1. ex R. Patre Thoma Comptono disput. 4. Logica, sect. 5. oppositum certius videtur, quam ut in dubium vocari possit: surdi enim & muti scribere docentur, & verbis, *homo, equus, &c.*, quæ in charta, vel ipsi formant, vel alii, non significant voces ore prolatas, quia sui percipiendi aut voces articulandi capaces non sunt: ergo &c.

ccxviii. Respondeo, præterquam quod merito opponatur, voces sapius proferri aut inprimi ab ignorantibus res per eas significatas, ac proinde illis res significare non posse; illis per accidens voces scriptas significare immediate & primario conceptus, sicut per accidens surdi & muti sunt: nostra autem Resolutio, utpote generalis, attendere debet ad id, quod per se communiter fit; unde nego consequentiam.

ccxix. Obicies 2. Ex eodem. Præsumendum est, homines scripturam instituisse, ut res immediate significant; ut quid enim frustra & sine necessitate interposuissent significationem vocum per scripturam, si immediate per scripturam res intelligi possit: ergo &c.

ccxx. Confirmatur: dum homines se mutuo litterarum officio salutant, non est his cura, ut articulatum vocis sonum & artificiosam pronuntiationem, sed ut res sub ipsis signis contentas percipiat is, ad quem litteræ diriguntur: ergo &c.

ccxxi. Respondeo præsumendum, homines instituisse, quod experientia fieri docet; experientia autem docet, legentem, non res per scripturam significatas legere, sed voces, quas scribens loquendo proferit: igitur præsumendum est, homines scripturam instituisse, ut voces immediate & primario significant, neque frustra interposuissent significationem vocum per scripturam, quia scripturæ sunt institutæ ad significanda ea, quæ continuo proferremus, si æque verbo ac scripturæ possemus: deinde multæ scripturæ sunt institutæ ad discendum voces proferre, ut patet ex discentibus linguas: imò vel ipsa Ecclesia obligat ad horas voce, & prohibet, mente recitare: nec est cur in eo dicatur, secundarium scripturæ significatum petere, primarium negligere; & alioqui nulla esset distinctio inter institutionem scripturæ & vocum: unde nego consequentiam.

Ad confirmationem.

ccxxii. Respondeo illos, qui litteris sese mutuo salutant, ad res simpliciter non attendere, sed ad res, quatenus à tali vel tali persona, si præsens esset, sibi voce significantur: quia si credatur præsens aliud dictura, despicitur. Ex quo liquet, prius scripturam voces scribentis significare, quam res. Unde nego consequentiam.

R. P. Francisci Bone Spei Logica.

RESOLUTIO IV.

ccxxiii. Dico 4. Signa scripta constantia solis punctis lineolis, picturis &c. primario & immediate significant res, nullatenus voces. Probatur, quia ad eas significandas sunt primario & immediate instituta, ergo &c.; veritas antecedentis.

ccxxiv. Colligitur 1. ex hoc signo '†', dato quod apud certæ nationis homines quinq; vulnera Christi significet, sic ea significat, ut voces nullatenus significet; quia voces articulantur, hoc signum articulare non potest, nisi per litteras, quo casu transiret ab hieroglyphico ad scriptum: constans litterarum tamquam materia, & de eo, ut antè loquendum foret.

ccxxv. Colligitur 2. Quia signum allatum adhuc idem significaret, puta quinque vulnera Christi, licet omnes voces essent vel fuissent impossibiles: idem est de hac nota Chyfræ 3. quæ etiam dicto casu tria significaret.

ccxxvi. Confirmatur: eodem modo dicta signa se habent ad suum significatum, quò statua Cælaris ad Cæsarem, sed hæc primario & immediate significat Cæsarem, ergo & illa suum significatum.

D. V B I V M. II.

Quid Nomen.

ccxxvii. Dico. Difficulus traditur bona Nominis definitio, quæ exactè distinguat ly *cano* à *coena*; *prandeo* à *prandio*; *prandens* quatenus gerundium, à *prandens* quatenus verbale & declinativum per casus; *prædefiniens*, *prævidens* &c.; à *prædefinivit*, *prævidit* &c.; *præsens* à *præest*; *præteritum* à *præterivit*; *futurum* ab *erit*, ut patet 1. ex definitione Nicolai Nebrissenis quem sequitur Arriaga, *Nomen est vox declinata per casus*. Contra quam præterea est, quod casus obliquus non declinetur per casus, & tamen sit nomen haud minus, quàm rectus ut rectus: Deinde etiam, quod sicut dantur voces ex instituto nihil significantes, ita dentur nomina ex instituto indeclinabilia, ut *gelu*: si dicat *gelu* declinari, sed secundum eandem semper terminationem; idem dicam de *quia* & similibus adverbis, quæ per illam definitionem non excludit: ut patet. 2. Ex communi definitione, quam adfert Pater Comptonus ex Aristotele Periherm. cap. 2. *Vox significativa ex instituto sine tempore, cujus nulla pars significat separatam, finitam & rectam, quæ cum verbo est, veram vel falsam efficit orationem*. ubi ly, *sine temporis differentia*, ita explicat, ut non significet actionem in certa ex primariis temporis differentia conjungi cum eo, à quo proficiscitur. Sed contra etiam est, quod ista definitio non excludat gerundia quæ gerundia; participia quæ participia; & supina quæ supina, quæ, ut talia, sunt verba, & tamen in se, in certa ex primariis temporis differentia actionem conjungi cum eo, à quo proficiscuntur, non significant. Deinde cæteræ particule frustra adduntur: quia non homo, hominem &c., haud minus sunt nomen, quàm homo. Quare aliter fit.

RESOLUTIO.

ccxxviii. Dico, nomen est vox cathegorematica, nec in se nec in toto in certa ex primariis temporis differentia agere seu actionem suo agenti conjungi significans. Per ly *nec in se nec in toto* excludit gerundia & supina quæ talia. Per cætera, excludit ea de quibus antè.

B

DVBIVM

D V B I V M I I I.

Quid Verbum.

CCXXXIX. **D**ifficulus etiam traditur bona verbi definitio, quæ exactè verbum distinguat à nomine: ut patet 1. ex definitione Nicolai Nebrissenfis, quam etiam sequitur P. Arriaga: *Verbum est vox conjugata per tempora*; non enim video cur potius *amaverint* sit vox conjugata per tempora quam *gelu*, quia &c., & tamen est verbum: deinde non est cur non dentur, vel saltem dari non possint verba, secundum unum tempus tantum conjugabilia; & inconjugabilia secundum plura tempora, uti *gelu* est declinabile secundum unum casum, & indeclinabile secundum plures casus. Ut patet 2. ex communi definitione, quam adfert P. Comptonus ex Aristotele 1. Periherm. ca. 3. *Verbum est vox significativa ad placitum cum tempore, cujus nulla pars separata significat, finita & recta, & eorū, quæ de altero dicuntur, nota*. Vbi ly *cum tempore* ita explicat, ut significet actionem in certa ex primariis temporis differentia conjungi cum eo, à quo proficiscitur. Sed contrà est quod ista definitio non includat gerundia quæ gerundia, participia quæ participia, supina quæ supina, quæ, ut talia, sunt verba; & tamen in se, in certa ex primariis temporis differentia actionem conjungi cum eo, à quo proficiscitur, non significant. Deinde cæteræ particulae frustra adduntur: non enim minus *amat* est verbum quam *amo*, nec ly *amo* in hac propositione *amo est verbum*, minus est verbum, quam copula est.

CCXXX. Dices ex R. P. Poncio, gerundia, participia &c., ut v. g. *amandum*, *amans*, non significare actionem in certa temporis differentia conjungi cum eo à quo proficiscitur, nisi ratione verbi est, *amandus* est v. g. *amans* est &c., ergo non sunt verba.

CCXXXI. Respondeo concessio antecedente negando consequentiam: esse enim verba, constat; ac proinde, cum illis definitio ista non conveniat, alia, quæ illis conveniat, adferri debet. Pro qua sit

RESOLUTIO.

CCXXXII. **D**ico, verbum est vox ex instituto in se vel in toto in certa ex primariis temporis differentia agere seu actionem suo agenti conjungi significans. Per ly *vel in toto*, comprehendit gerundia, participia & supina quæ talia; & exclude nomen, adverbia &c.

Adde ly *vox*, prout est genus in allatis nominis & verbi definitionibus, non sumi formaliter ut nomen, sed prout est denominatum in definitione nominis, sive pro eo, quod materialiter est nomen, alioqui malæ forent definitiones, ut patet.

D V B I V M I V.

Quid Oratio, & quomodo dividatur.

CCXXXIII. **D**ifficulus denique traditur bona orationis definitio, quæ exactè o-

rationem distinguat à termino complexo; sic tamen ut communis sit Orationi perfectæ & imperfectæ. Ut patet primò ex definitione communi, *Oratio est vox significativa cujus partium aliqua separata significat*. Addunt aliqui cum Philosopho 4. de Interp. *Ut dictio, sed non ut affirmatio vel negatio*. Contrà enim est, quod hæc propositio *blitri est blitri*, vera sit oratio, & tamen nulla illius pars separata significet, saltem ex instituto, ut intelligi debet: deinde quantum ex oratione perfectæ & imperfectæ colligitur, debet esse aliqua distinctio inter orationem & terminum complexum, quia illæ sunt Oratio, & non terminus complexus. Ut patet secundò ex definitione Arriagæ, & ferè Hurtadi: *Oratio est vox composita ex nomine & verbo inter se congruentibus*, id est, in eadem persona coherentibus: contrà est, quod huic perfectæ propositioni, *amo est agere*, non conveniat definitio ista: quia nullum nomen nec ulla coherentia in persona. Quare pro alia sit

RESOLUTIO I.

CCXXXIV. **D**ico 1. Oratio est dictio completa sive perfectæ per verbum.

Dixi, completa per verbum, ut excludas terminum Complexum.

RESOLUTIO II.

CCXXXV. **D**ico 2. Oratio sive enuntiatio non rectè dividitur in enuntiativam & non enuntiativam; sed immediatè dividi debet in enuntiativam perfectè, & enuntiativam imperfectè.

CCXXXVI. Dixi, sive enuntiatio, quia reverà omnis oratio, prout à termino complexo distinguitur, est enuntiatio, ut statim patebit.

CCXXXVII. Probatur 1. pars Resolut. quia nulla adferri potest oratio, ut à termino complexo distincta, quæ non sit enuntiatio: ergo &c.

Probatur assumptum: quia si aliqua adferri posset, maxime hæc adferrentur, *si venissem*, *scinde panem* &c.; atqui illæ æquivalent his, *si ego fuisset veniens*, *tu esto scindens panem* &c.; in quibus est subjectum, copula & prædicatum, ac proinde sunt veræ enuntiationes, ergo &c.

CCXXXVIII. Probatur 2. pars Resol. quia enuntiativa perfectè, cum sit illa, quæ ita enuntiat, ut perfectum sensum gignat in mente audientis; ut *Deus est justus*, *paries est albus* &c., datur; & aliundè enuntiativa imperfectè, cum sit illa, quæ ita enuntiat, ut non nisi imperfectum sensum gignat in mente audientis, ut *si venissem*, *ambulabis* &c., similiter datur: nec aliæ excogitari possunt, ergo &c.

CCXXXIX. Confirmatur, quia gignere vel non gignere perfectum sensum est extrà essentiam enuntiationis in genere, haud secus, quam esse veram, vel falsam, affirmativam, vel negativam, ergo haud secus quam in hæc, in illas rectè dividitur.

DISPV-

DISPUTATIO IV.

De Propositione.

D V B I V M I.

Quid Propositio & Quotplex.

CCXL. **N**on minus obscure & difficulter de Propositione loquuntur Philosophi, quam de Nomine, Verbo, & Oratione, nec unam propositionis definitionem adferunt, quæ terminum complexum exactè excludat, & omnem propositionem, ac proinde orationem imperfectam, comprehendat, ut consideranti patebit: si enim definiatur cum communi, Propositio est alicujus de aliquo affirmativa, negativave oratio: definitum ingreditur suam definitionem, quia, ut vidimus Dub. Vltim. Disput. præcedentis, oratio, enuntiatio, propositio &c., confundi debent: deinde traditur per suas species, ac proinde per seipsam; ista autem sunt in definitione vitiosa.

Aliter R. P. Thomas Comptonus, Propositio est oratio enuntiativa alicujus de aliquo; sive ut Oviedus, Oratio in qua unum de alio dicitur: Sed etiam in his definitum ingreditur suam definitionem, in prima quidem, quia Oratio enuntiativa est Propositio; secunda verò, cum oratio sit propositio, ut supra vidimus, æquivalet huic, propositio est propositio, in qua unum de alio dicitur, quæ etiam suum definitum includit: Idem esto judicium de hac (præterquam quod apprehensivam malè excludat) R. Patris Poncu, propositio est oratio qua significatur judicium intellectus de aliqua re. Quare pro alia Propositionis definitione sit.

R E S O L U T I O I.

CCXLI. **D**ico 1. propositio est dictio completa, sive perfecta, per verbum. Ly *Dictio*, commune est termino complexo & orationi, ac proinde genus definiti: ly *perfecta per Verbum*, est differentia, per eamque excluduntur termini complexi, & includitur omnis propositio affirmativa, negativa, vera, falsa, perfectè enuntiativa, imperfectè enuntiativa &c., ut disput. præcedenti dub. ult. vidimus.

CCXLI II. Dices 1. *Dictio* idem est quod affirmatio, ergò definitum ibi ingreditur suam definitionem.

CCXLI III. Respondeo distinguendo assumptum, *dictio* enuntiativa, idem est quod affirmatio, transeat assumptum; non enuntiativa, nego assumptum, quia ut sic, idem est quod terminus complexus.

CCXLIV. Dixi, *transeat*, quia *dictio* mihi indifferens est ad affirmationem & negationem; dico enim esse, ut homo est animal, & dico, non esse, ut homo non est lapis.

CCXLV. Dices 2. quis dicat hanc dictionem, *librum legere*, esse propositionem? illa tamen est dictio completa sive perfecta per verbum. ergò &c.

CCXLVI. Respondeo, omnes id dicere debere, quia *librum legere*, æquivalet, *liber est lectus*, Petrus est legens; nec ibi aliud interest, quam quod termini sint confusè & implicitè tantum positi, & idem est de similibus propositionibus.

CCXLVII. Dices 3. quandoquidem, juxta supradicta, gerundia, participia & supina, quæ talia, sint

verbum; Petrus amandus, Petrus amans, Petrus amatus &c., erit dictio completa per verbum, atqui talis dictio non est propositio, sed terminus dumtaxat complexus. ergò &c.

CCXLVIII. Respondeo concessà majore, negando minorem; quia si ly *amandus*, *amans*, *amatus* &c., sumantur quatenus verba, quomodo sumi debent, ut sint propositiones; & non nominaliter tantum, sive quatenus adjectiva, semper sumuntur quatenus in toto significant aliquam ex primariis temporis differentiam, est, fuit vel erit, ut sit sensus Petrus amari debet, Petrus amat, Petrus amatur, quæ in has resolvuntur, amor est Petro debitus, Petrus est amans, Petrus est amatus.

R E S O L U T I O II.

CCXLIX. **D**ico 2. dividitur 1. propositio in Cathegoricam & Hypotheticam.

CC. Cathgorica est, quæ constat prædicato, Subiecto & Copulâ, implicitè ut Petrus scribit; vel explicitè ut Petrus est scribens: si copula & prædicatum explicitè ponantur, propositio dicitur de tertio adjacenti; si alterutrum implicitè tantum, de secundo adjacenti: in propositione autem cathgorica copula semper resolvitur in verbum sum.

CCLI. Hypothetica est, quæ constat duabus propositionibus cathgoricis tamquam extremis, illiusquæ proinde quatenus hypothetica copula semper exprimitur per conjunctiones, et v.g. *aut*, *si*, quia &c.; ut Petrus docet, & Paulus cantat; si dies est, sol ortus est &c.

CCLII. Dividitur 2. secundum qualitatem in affirmativam & negativam; quare Boëtius dicit propositionem per definitionem supra allatam non definiri absolutè, sed definiendo dividi; similia habet Albertus Magnus: hinc malè nonnulli putant eam divisionem esse secundum qualitatem essentialem; quia est tantum secundum accidentalem, uti est divisio animalis in rationale & irrationale.

CCLIII. Dividitur 3. secundum quantitatem in universalem, particularem & indefinitam.

CCLIV. Universalis sic definitur ab Aristotele, quæ aut omni aut nulli inesse significat, id est, est propositio in qua prædicatum, vel affirmatur, vel negatur de subiecto universaliter sumpto: hinc subiectum propositionis universalis per se loquendo affici debet signo omnis, ut omnis homo est animal; vel signo nullus, ut nullus homo est animal.

CCLV. Propositio particularis est, quæ alicui aut non alicui (id est alicui non, aut non omni) inesse significat, id est, est propositio cujus subiectum afficitur signo particulari aliquis, ut aliquis homo est pius.

CCLVI. Dixi, id est, alicui non, quia si ly non præponatur alicui, idem est quod nullus.

CCLVII. Propositio indefinita est, quæ aut inesse, aut non inesse sine signo universali vel particulari significat, id est, est propositio, cujus subiectum nullo signo afficitur; ut homo est animal: homo non est brutum, pro quo

CCLVIII. Adverte, quod, quando propositio indefinita est in materia contingenti, æquivalet particulari; ut homo est doctus, idem est, quod aliquis homo est doctus; si verò sit in materia necessaria vel essentia-

liæquivalet universalis; ut *homo est animal*, idem est, ac *omnis homo est animal*.

cclix. Petes, quare una divisio vocetur secundum qualitatem, altera secundum quantitatem?

cclx. Respondeo, quia prima divisio est secundum affectiones prædicati seu formæ, quæ per sepe sunt qualitates: secunda verò est divisio penes affectiones subjecti sive materiæ, cuius proprietas est quantitas; vel juxta Arriagam, quia hæc divisio sumitur secundum coarctationem & extensionem subjecti.

cclxi. Dividitur 4. in Apodicticam, & Dialecticam:

cclxii. Apodictica est sumptio alterius partis contradictionis, id est, propositio necessaria sive necessaria vera, unde ab aliis dicitur demonstrativa; ut *omne totum est majus sua parte*.

cclxiii. Propositio Dialectica est interrogatio contradictionis, id est, propositio tantum probabilis: hæc autem dicitur interrogatio contradictionis, quia, cum tantum sit probabilis, debet interrogari Responsalis, an eam concedat, vel neget: id verò de Apodictica, utpote necessaria vera, interrogari non debet. Hic tamen notat Aristoteles ad formam syllogisticam nihil referre, sitne Apodictica, vel Dialectica, modo sit ex propositione concessa ab adversario; unde tam bene concluditur ex propositione Dialectica concessa, quam ex Apodictica.

cclxiv. Apodictica dividitur in Apodicticam secundum se tantum, & est, quæ in se est necessaria vera, non quoad nos; ut *Deus est trinus*: & in Apodicticam quoad nos, & est, quæ quoad nos est necessaria vera; ut *omne totum est majus sua parte*.

cclxv. Dialectica etiam subdividitur in Dialecticam secundum se, & est, quæ in se est tantum probabilis; ut *cælum non constat materiâ sublimari*: & in Dialecticam quoad nos, & est, quæ quoad nos est probabilis; ut *omnis mater diligit suum filium*.

cclxvi. Dividitur 5. in Vocalem, Mentalem, Scriptam & Objectivam, quarum definitiones facile colliges ex dictis de terminis Tract. primo.

cclxvii. Adverte autem pro complemento hujus materiæ propositionem sive enuntiationem aliquando vocari propositionem, aliquando enuntiationem, aliquando problemam, aliquando conclusionem, aliquando instantiam: quæ omnia non re, sed significatione tantum differunt, & sunt quasi diversa propositionis officia: nam propositio quatenus assumitur ad syllogismi constitutionem, dicitur propositio; quatenus in ea simpliciter prædicatum tribuitur subjecto, dicitur enuntiatio; quatenus verò per eam in utraque parte contradictionis interrogatur, v.g. *Logicus est doctus*, vel *indoctus*, quid ad hoc? est problema; quatenus inferitur ex præmissis, est conclusio; quatenus denique assertur ad inferendam veritatem alicujus propositionis, dicitur instantia.

cclxviii. Dividitur 6. in immediatam & mediatam: Immediata est, cui assentimur ex sola evidentia terminorum, ut *pars minor est suo toto*: Mediatam est, cui solum assentimur per aliquod medium sive argumentum.

cclxix. Immediata subdividi potest in demonstrativam, ut *omne totum est majus sua parte*: & in Dialecticam, ut *omnis mater diligit suum filium*.

cclxx. Propositio mediata subdividitur in Scientiam, Opinionem, & Fidem. Scientia est assensus medius per medium demonstrativum. Opinio per medium probabile: Fides per testimonium.

cclxxi. Dico 3. Propositio, prout ab aliis prædicatio dicitur, alterius.

cclxxii. Dividitur primò in propriam & Impropriam.

cclxxiii. Propria est, cuius omnes partes sumuntur in propria significatione; ut *homo est animal*.

cclxxiv. Impropria est, cuius non omnes partes sumuntur in propria significatione; ut *præta sunt ridenda*, ubi *ly ridenda* sumitur improprie.

cclxxv. Dividitur secundò in Formalem, Causalem, & Concomitativam.

cclxxvi. Formalis est, cuius veritas spectatur ex identitate extremorum, & hæc est propria prædicatio; ut *homo est animal*.

cclxxvii. Causalis est, cuius copula designatum esse causam alterius, ut *præsentia solis est dies*: vel cuius veritas spectatur non ex eo quod unum extremum sit idem cum alio, sed quod unum causetur ab alio, & hæc prædicatio est impropria, quia copula est sumitur improprie pro *ly causat*, cum proprie significet identitatem, quomodo in rigore esset falsa prædicatio.

cclxxviii. Concomitativa est, in qua veritas spectatur ex eo, quod unum sequatur ex alio; ut *generatio unius est corruptio alterius*: & hæc etiam est impropria, quia verbum est sumitur pro *concomitatur*.

cclxxix. Dividitur 3. in ordinatam, in qua prædicatur id, quod aptius est prædicari; & in Inordinatam, in qua prædicatur id, quod non est aptius prædicari.

cclxxx. Quæres, quid sit aptius prædicari?

cclxxxi. Respondeo, superius respectu inferioris; adjectivum respectu substantivi; ut *animal respectu hominis*, *album respectu parietis*. Ratio est, quia superius & adjectivum habent se per modum formæ, prædicatum autem est velut forma subjecti.

cclxxxii. Dividitur 4. in Intrinsecam & Extrinsecam:

cclxxxiii. Intrinseca in Essentialem & Accidentalem: Item in Necessariam, Contingentem, & Impossibilem: pro quibus vide Dialecticam.

cclxxxiv. Dividitur denique in Identicam & non Identicam.

cclxxxv. Identica est, cuius prædicatum & subjectum est omnino idem re & significatione; ut *ensis est gladius*.

cclxxxvi. Non Identica est, cuius prædicatum & subjectum non est omnino idem, sed diversum re vel significatione; ut *homo est animal*.

cclxxxvii. Nota prædicatum affirmativæ propositionis, ut *homo est albus*, *homo est animal*, debere esse idem cum subjecto; hoc enim significat copula, & alioqui esset falsa propositio: verum, ut non sit Identica prædicatio, debent prædicatum & subjectum aliquomodo esse diversa; quia diximus prædicationem identicam esse, cuius prædicatum est omnino idem cum subjecto; ut hæc, *homo est animal*, est vera; quia identitas est inter *animal* & *hominem*, & non est Identica: quia est inter utrumque diversitas; est nempe identitas secundum materiale significatum; nam sic resolvitur, *res que habet humanitatem est res que habet animalitatem*: est autem diversitas secundum formale significatum subjecti & prædicati; nam formale significatum subjecti est *humanitas*, formale prædicati est *animalitas*, quæ ratione distinguuntur. Item hæc prædicatio, *homo est animal rationale*, non est

est identica, quia et si subjectum & prædicatum idem significant, non tamen eodem modo; nam subjectum repræsentat confusè, prædicatum verò, quæ subjecti est definitio, distinctè; & illa variatio sufficit.

D V B I V M I I.

Quomodo Concreta & Abstracta de invicem prædicantur.

CCLXXXVIII. **H**ujus dubii Resolutio multum ad Theologiam confert, & non parvas continet difficultates, ut statim patebit. Quare: antè illam,

CCLXXXIX. Suppono 1. duo esse genera Terminorum: Vnum eorum, qui in abstracto res expriment; ut *humanitas, albedo*: Alterum eorum, qui in concreto; ut *homo, album*.

CCLXXX. Suppono 2. etiam esse duo genera Concretorum: unum Physicorum, alterum Metaphysicorum:

CCLXXXI. Physica sunt, quæ in se, vel simili important formam à subjecto suo realiter distinctam; ut *persona, album*.

CCLXXXII. Dixi, *vel in simili*, quia licet in Divinis, personalitas à Divinitate, justitia à Deo, realiter separari non possit, quia tamen talis separatio in similibus concretis creatis contingit, persona in Divinis, justum &c. censentur concreta physica.

CCLXXXIII. Metaphysica sunt, quæ important formam à suo subjecto ratione nostra tantum distinctam; ut *homo, animal, rationale*.

CCLXXXIV. Concreta Physica subdividuntur in accidentalia seu adjectiva, & substantialia: Physica substantialia sunt, quorū forma est substantia à suo subjecto realiter distincta; ut *persona, aureum*; adjectiva physica, quorum forma est accedens physicum à suo subjecto realiter distinctum; ut *album, nigrum*.

CCLXXXV. Concreta physica substantialia subdividuntur in essentialia Logicè, & accidentalia Logicè: Physica substantialia essentialia Logicè, sunt concreta physica substantialia, quæ de suis subjectis apta sunt essentialiter prædicari; ut *persona respectu hujus & hujus personæ, aureum respectu hujus & hujus aurei* &c: Physica substantialia accidentalia Logicè, sunt concreta physica substantialia, quæ de suis subjectis apta sunt accidentaliter contingenter prædicari; ut *persona respectu Petri & Pauli, aureum respectu hujus & hujus calicis*: eodem modo subdividit adjectiva physica; & concreta metaphysica.

CCLXXXVI. Suppono 3. duo esse genera propositionum, unum essentialium, alterum accidentalium: Essentialia sunt, quarum prædicati forma est de essentia subjecti; ut *homo est animal*: Accidentales verò, quarum prædicati forma non est de essentia subjecti; ut *homo est risibilis, homo est persona*.

CCLXXXVII. Suppono 4. in concretis purè creatis, concreta substantialia physica ex natura & personalitate, substantia vel suppositalitate, dicere naturam in recto, personalitatem &c. in obliquo; ita scilicet, ut persona humana sit humana natura habens personalitatem, quod manifestè colligitur ex his propositionibus; *homo discurrit; homo constat animâ & corpore*: sunt enim veræ propositiones ratione solius identitatis inter recta prædicati & subjecti utriusque, quo solo sensu natura humana discurrit; natura humana constat animâ & corpore; sunt

verò falsæ, personalitas hominis discurrit; personalitas hominis constat animâ & corpore: ergo in istis concretis natura importatur in recto, personalitas verò, substantia &c. in obliquo.

CCLXXXVIII. Dixi in purè creatis, quia in non purè creatis, Divinis &c. aliter philosophandum: suppositum enim Divinum dicit suppositalitatem, sive personalitatem in recto, naturam in obliquo; ita scilicet, ut suppositum Divinum sit suppositalitas Divina in natura Divina, id est, quatenus conjuncta naturæ Divinæ, ut ostendimus in Theologia: quod etiam manifestum est ex his propositionibus, *sunt tres personæ Divinæ; Pater generat; Pater est incommunicabilis*; sunt enim veræ propositiones ratione solius identitatis &c. hoc sensu, *sunt tres Personalitates Divinæ; Paternitas generat; Paternitas est incommunicabilis*; hoc verò sensu falsæ, *sunt tres naturæ Divinæ; Natura Divina generat; Natura Divina est incommunicabilis*; ergo in istis concretis personalitas importatur in recto, natura divina in obliquo.

CCLXXXIX. Adde tamen Nomen Deus, non secus ac nomina naturæ purè creatæ, dicere naturam in recto, personalitatem in obliquo; ut etiam patet ex his propositionibus, *Deus est unus in Natura & Trinus in Personis; Deus est communicabilis*: illæ enim propositiones sunt veræ ratione identitatis &c. hoc sensu, *Natura Divina est Vna in Natura quatenus Natura, & Trina in Personis quatenus tres Personalitates illi conjunguntur*; *Natura Divina est communicabilis*; & ita quidem ut dici non possit, *persona divina est Personalitas habens Naturam*; quia illi ut sic non convenit generare, spirare &c. bene sub illo quatenus; sunt verò falsæ, *Paternitas est Vna in Natura & Trina in personis*, *Paternitas est communicabilis*; ergo &c.

CCC. Nec refert, quod hæc propositio sit de fide, *Deus est homo*, & tamen falsa secundum præcedentem doctrinam; quia est tantum vera propter communicationem idiomatum, eò quod natura Divina & humana sint naturæ ejusdem suppositi, non verò in rigore philosophico, eò quod aliquid idem concernunt in recto: nam illud esse deberet ipsa substantia Verbi, quam si Deus diceret in recto, sequerentur hæreses allatæ. Ex his

CCCI. Colliges, quomodo loquendum sit de Christo, cui modò attribuuntur prædicata Deo purè propria, modò homini purè propria: si enim hæc attribuuntur, dicit Naturam humanam in recto; si illa, Divinam; si verò propria secundæ Personæ Triados attribuuntur, dicit Personalitatem Verbi in recto; undè de eo quod dicit in recto, judicandum secundum prædicatum quod ipsi attribuitur: sed de his latius in Theologia. His præmissis sit

R E S O L U T I O.

CCCII. **D**ico, sola prædicatio concreti de concreto potest esse vera, si excipias concreta quædam extrinsecè denominantia, & abstracta metaphysica æqualia suis concretis, vel propter transcendentiam, ut est ens, entitas; vel quia nihil amplius significant, quam eorum abstracta, ut Deus & Deitas, existentia & existens, hæceitas & individuum &c.

CCCIII. Probat, quia sola illa prædicatio potest esse vera, quæ est identica secundum recta prædicati & subjecti, sive cujus prædicati & subjecti recta sunt æqualia, eadem &c. quod est propositionem esse identicam, cum hoc addito, secundum re-

ita prædicati & subjecti (licet absolute dici non debeat identica, sed formalis, si abstracta sint diversa, saltem ex modo significandi) sed illa sola potest esse identica secundum recta prædicati & subjecti, quæ est concretæ de concreto, si excipias illa, quæ supra, ergo &c.

ccciv. Dixi primò: Si excipias concreta extrinsecè denominantia, nam illa verè prædicantur de abstractis, ut *animalitas est cognita, rationalitas est universalis*: cuius ratio est, quia in similibus propositionibus prædicatum, secundum quod dicit in recto, est transcendens; huiusque propositionis *animalitas est cognita*, est hic sensus, *animalitas est objectum cognitionis*, quæ propositio est vera; quia *ly objectum* est quidpiam transcendens, & ibi entis æquivalens, ut potè de ente prædicabile: sed quid de hac propositione, *albedo est visa*? Respondeo illam esse veram; nā abstracta physica in primo ordine metaphysico; quomodo ibi consideratur albedo, concernunt aliquid idem; allata enim propositionis est hic sensus, *res habens albedineitatem est objectum visionis*.

cccv. Dixi secundò, si excipias abstracta metaphysica, æqualia &c. quia cum illa sint formaliter æqualia & eadem, nihil refert, an in prædicatione sumantur in concreto, an in abstracto.

cccv. Obicies tamen, veræ sunt hæ propositiones: 1. *Homo est humanitas*, nam cum homo ex præmissis Suppos. 4. in recto dicat Naturam humanam sive humanitatem, personalitatem in obliquo, illius propositionis est hic sensus, *humanitas est humanitas habens personalitatem*: 2. *Humanitas est unita Verbo*: 3. *Humanitas est animalitas*: 4. *Albedo est color, albedo est similis*, ergo non sola prædictio concretæ de concreto potest esse vera, etiam si excipiamus, illa quæ supra, sed &c.

cccvii. Respondeo 1. hanc propositionem, *homo est humanitas*, esse veram, si *ly homo* sumatur ut concretum metaphysicum, & *ly humanitas* ut abstractum physicum; nam cum verè humanitas ut sic sit concretum metaphysicum, istius propositionis est hic sensus, *homo est homo*, vel *humanitas est humanitas*, quæ æquivaleret huic, *res habens humanitatem, est res habens humanitatem*; Catholica enim doctrina, secundum quam dicimus Verbum non assumpsisse hominem, loquitur de homine ut est concretum physicum, & prout importat personalitatem; non verò de homine ut concreto metaphysico, quomodo à Personalitate est realiter abstractus: Si verò *ly homo* sumatur ut concretum metaphysicum, & *humanitas* ut abstractum ejus metaphysicum, allata propositio est falsa, non minus quam hæc, *concretum metaphysicum magis dicens actu est abstractum metaphysicum minus dicens actu*: Quid si *ly homo* sumatur ut concretum physicum ex natura & personalitate, & *humanitas* ut abstractum physicum? etiam est vera & identica, si prædicatum & subjectum præcisè considerentur secundum quod substant prædicationi, sive secundum recta; nam homo ut concretum physicum in recto dicit humanitatem, quæ non est nisi concretum metaphysicum, *humanitas* verò est *humanitas*, undè consequenter dici potest, Verbum assumpsisse hominem concretum physicum præcisè sumptum, ut substat huic prædicationi veræ, *homo est humanitas*: Si vero ut substant suppositioni, est falsa, nam homo ut concretum physicum supponit pro persona, pro qua non supponit ut abstractum physicum, undè inter illa ut sic non potest esse æqualitas, identitas &c.

cccviii. Respondeo 2. propositionem *humanitas est unita Verbo*, esse verā non secus ac hæ sunt, *materia est unita forma, anima est beata*: Ratio est, quia licet *humanitas*, *materia*, *anima* &c. sint abstracta physica, sunt tamen concreta metaphysica; concreta verò adjectiva, qualia sunt unitum, beatum &c., indifferenter dicunt pro subjecto concreta metaphysica, ut *corpus est album*; *humanitas est unita Verbo*; vel physica, ut *album est dulce*; *animatum est unitum animæ*.

cccx. Nec obstat quod hinc sequi videatur veras fore hæ prædicationes, *albedo est alba, unio est unita*: nā eas admittere potes dicendo, *albedinem esse albam* ut quo, *unionem esse unitam* ut quo; ut sic enim illarum est hic sensus, *albedo est forma quæ album est album, unio est forma &c.* vel rejicere dicendo, concreta adjectiva non transcendunt (de quibus hic) significare quidem indifferenter subjectum physicum vel metaphysicum, sed distinctum realiter à sua forma; nam unitum simpliciter prolutum, sonat id quod habet unionem; album simpliciter prolutum, id quod habet albedinem; falsum autem est, *albedo*, sive id quod immediatè habet albedineitatem (quod tantum *albedo* esse potest) est id quod habet albedinem, non secus ac si dicerem, forma est subjectum sui ipsius, quod non satis intelligi potest.

cccx. Respondeo 3. hanc propositionem, *humanitas est animalitas*, posse esse veram & falsam, juxta hunc duplicem sensum, quo *humanitas* & *animalitas* sumi possunt: si enim sumantur ut duo concreta metaphysica, ita scilicet ut *humanitas* sit res habens humaneitatem, *animalitas* res habens animalitatem, vera est, non secus ac hæ, *homo est animal*; hæc *humanitas est humanitas*; hæc *animalitas est animalitas*, quia concernunt aliquid idem in recto; si verò sumantur ut species & genus definiti speciei; ut definitum metaphysicum & pars metaphysica ejusdem; ut inferius & superius formaliter, falsa est; non secus ac hæ, *species definita est suum genus definiti*; definitum metaphysicum est sua pars metaphysica; inferius est superius formaliter, quæ non minus sunt falsæ, quam hæ, *homo est corpus*; plura includens actu in recto est pauciora includens actu in recto, quæ apud omnes sunt evidenter falsæ. hinc.

cccx. Colliges hanc propositionem, *humanitas est animalitas*, ut generis de specie esse falsam, ut potè partis metaphysicæ de definito suo metaphysico, superioris formaliter de inferiori &c.; veram verò, ut concretæ metaphysicæ absoluti de concreto metaphysico absoluto, ut potè æqualis de æquali, ejusdem de eodem, secundum quod dicunt in recto.

cccxii. Dices fortè 1. dantur propositiones in sensu formali veræ, & tales sunt, juxta omnes, prædicationes superioris de inferiori, tam in abstracto, quam in concreto; ergo hæc prædictio, *humanitas est animalitas* est vera; licet aliter, quam ut duo concreta metaphysica, sive ut definitum metaphysicum & pars materialis metaphysica ejusdem; ut inferius & superius formaliter, sumantur: Probatur consequentia; quia propositionem esse in sensu formali veram, nihil aliud est, quam copulam significare prædicatum esse inclusum in conceptu formali subjecti, quod optimè intelligitur modo dicto sumendo *humanitatem* & *animalitatem*, ergo &c.

cccxiii. Pro solutione hujus argumenti.

Advertè juxta communem consensum Philosophorum, in duplici sensu posse verificari propositiones: 1. In sensu identico & materiali, quod fit, cum per copulam tantum intendimus significare subje-

ctum

etum & prædicatum esse eandem rem à parte rei, ut *albedinitas est coloreitas*; intellectus in Deo, est voluntas: 2. in sensu formali, quando intendimus significare idem esse sub conceptu significatum rectorum prædicati & subiecti propositionis non identicæ, ut *album est dulce*, *homo est animal*: quod autem aliqui dicant propositionem verificari in sensu formali, ubi intendimus significare prædicatum includi in conceptu formali subiecti, falsum est: 1. quia etiam propositiones contingentes verificantur in sensu formali, illa autem explicatio solis essentialibus convenit: 2. quia alioqui hæc propositio, *homo est corpus*, in sensu formali esset vera, quod nullus dixerit: 3. Quia superfluum est eò recurrere, cum nostra explicatio sit magis latè patens, & sufficienter sensum formalem propositionum ab identico distinguat; sic patet ad probationem consequentiæ argumenti: hoc itaque præmissis ad argumentum.

cccxiv. Respondeo dari quidem propositiones in sensu formali veras, sed tales tantum esse propositiones superioris de inferiori in concreto physico vel metaphysico, & nullà ratione in abstracto metaphysico: nam hæc propositio, *albedinitas est coloreitas*, nullo modo potest esse vera in sensu formali, si quidem albedinitas, utpotè abstractum ultimæ abstractionis, nihil dicit in recto idem cum coloreitate; sed est id, quo concipitur ultimò constitui albedo; coloreitas id, quo concipitur ultimò constitui color; falsa autem est hæc prædicatio in sensu formali, id quo concipitur ultimò constitui albedo est id quo concipitur ultimò constitui color.

cccxv. Dices 2. Quandò humanitas & animalitas sumuntur ut species & genus, ut definitum metaphysicum & pars metaphysica; vel animalitas sumitur in concreto metaphysico, vel in abstracto metaphysico? Si 1. sicut vera est hæc propositio, *humanitas est animalitas in concreto metaphysico*; ita vera erit hæc, *species est suum genus definiti*; definitum metaphysicum est sua pars metaphysica, quod supra negatum est: Si 2. non potest esse genus definiti in definitione animalis; nam animalitas utpotè ultimæ abstractionis, ita sumitur, ut sit id, quo præcisè constituitur animalitas, quod cum sola rationalitate ultimæ etiam abstractionis, & id quod præcisè humanitas habet supra animalitatem, non potest explicare totum, quod humanitas dicit actu, videlicet vitam, corporeitatem, substantiam &c, ergò &c.

cccxvi. Respondeo: quandò humanitas & animalitas sumuntur ut species & genus, ut definitum &c., humanitatem sumi ut concretum metaphysicum, in recto concernens quidquid habet humanitatem; animalitatem verò sumi in abstracto metaphysico; non quidem eo, quod communiter dicitur ultimæ abstractionis, & exprimitur per vocem animalitas; quia ut sic (ut bene probatum est) non includit actu totum, quod præter rationalitatem includere debet genus definiti humanitatis; sed in abstracto metaphysico metaphysicè abstracto tantum à differentiis immediatè contrahentibus, rationalitate scilicet & irrationalitate; quomodo etiam dici potest, humanitas sumi in abstracto metaphysico, si præcisè sumatur ut abstracta ab hæccitatibus; & isto sensu sumendo humanitatem, falsa est hæc prædicatio, *hic homo est humanitas*; vera, si ly *humanitas* sumatur ut concretum metaphysicum, quia in concreto, utpotè à nullo abstracta in concreto, eadem dicit in recto, quæ *hic homo*: nec apparet quomodo dictū genus definiti aliter sumi possit; qui enim di-

cunt animal esse genus definiti in definitione hominis, vel volūt illud esse genus definiti sumptū in concreto? & hoc non; quia sic definitum ingreditur suam definitionem &c. Ut disp. 3. dub. 2. diximus: vel secundum quod dicit in obliquo? & hoc dato, vel per obliquum intelligunt animalitatem abstractum metaphysicum ultimæ abstractionis, vel animalitatem abstractum metaphysicum à rationalitate & irrationalitate, & non ultimæ abstractionis? Si prius, incidunt in difficultates supra allatas; si posterius, nobiscum loquuntur, nec aliter loqui posse videntur: hinc

cccxvii. Colliges abstractum metaphysicum non malè dividi in latè sumptum, quod dicitur non ultimæ abstractionis, & à certis tantum differentiis contrahentibus; & strictè sumptum, quod dicitur ultimæ abstractionis, quia ab eo nihil ulterius abstrahi potest.

cccxviii. Respondeo 4. ad Object. 11. hanc propositionem, *albedo est color*, esse veram; quia est concreti metaphysici generici de concreto metaphysico specifico; nam abstracta physica, qualia sunt albedo & color, sunt concreta metaphysica: eodem modo loquere de hac, *albedo est similis*.

cccix. Colliges, Signi distinctionis Realis infra Tract. 3. explicandæ, quod communiter adfertur, scilicet, *ea, quorum unum non possit verè de altero affirmari in abstracto, distinguuntur realiter*, hunc debere esse sensum, si unum non possit &c, in abstracto physico, vel concreto metaphysico, distinguuntur realiter; nam abstracta metaphysica non possunt, saltem in sensu formali, de invicem verè affirmari, licet sint idem realiter, pro horum complemento.

cccxx. Adverte, pro subiecto mediato concreti metaphysici semper adferendum aliquid realiter indistinctum à forma, sed remotius & remotius, quo plures & plures differentias contrahentes formam, includit: Ratio est, quia alioqui esset concretum physicum ut patet, nam diceret obliquum realiter distinctum à recto, sive formam realiter distinctam à subiecto.

D V B I V M I I I.

Quomodo Concreta & abstracta multiplicentur.

R E S O L U T I O I.

cccxxi. Dico 1. omnia Concreta physica, tam accidentalia, quam substantialia, etiam adjunctis nominibus numeralibus, multiplicantur multiplicatis solis rectis; illis verò immultiplicatis, licet obliquis sive formis infinities multiplicatis, non multiplicantur.

cccxxii. Probatur, quia propositiones verificantur ratione solius identitatis inter propositionis prædicati & subiecti recta, ergò multiplicatis solis rectis, multiplicantur concreta physica, ergò &c.

cccxxiii. Probatur consequentia: sicut enim est unum album, ubi est una res habens albedinem; & una persona humana, ubi una natura humana habens personalitatem; item una persona Divina, ubi est una Personalitas in Natura Divina: ita tria. v. g. sunt alba, ubi tres res habentes albedinem; tres personæ humanæ, ubi tres naturæ humanæ habentes personalitatem; tres Personæ Divinæ, ubi tres Personalitates in Natura Divina, pro quibus lege Suppositum 4. antè Resol. dubii primi.

ccccxiv. Confirmatur, ad multiplicationem concretorum Personæ, non potest multiplicari forma sive id quod importatur in obliquo; ergo neque ad multiplicationem aliorum concretorum: Probat consequentia, quia uniformiter loquendum, nisi aliquid in contrarium obstat, quod hic non obstat: Antecedens patet, quia alioqui multiplicatis personis Divinis, deberet multiplicari Natura Divina, cum importetur in obliquo, ut constat ex præmissis; quod est hæreticum, ergo &c.

DISPUTATIO V.

De proprietatibus Propositionum.

DUBIUM PRIMUM.

Quid Propositiones oppositæ, Quotuplices, & quæ earum Leges.

ccccxvii. **A**nte Resolutionem. Suppono, Propositiones posse variis modis inter se opponi, 1. secundum qualitatem, si una v. g. sit affirmativa, altera negativa; una vera, altera falsa: 2. secundum quantitatem, si una sit universalis, altera particularis. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

ccccxviii. **D**ico 1. Oppositæ sunt affirmatio & negatio ejusdem (scilicet prædicati) de eodē (scilicet subjecto) non equivocè sumpto: hinc canis latrat, canis non latrat, sunt oppositæ, si de cane & cane terrestribus sit sermo; secus si de uno terrestri, altero cœlesti: ut autem liberemur à Sophistarum molestiis, voluit Aristoteles, sequentes conditiones subaudiri.

ccccxix. Secundum idem, id est, secundum eandem partem; nam secundum diversas partes, paries est albus, paries non est albus, non sunt oppositæ:

ccccxx. Ad eundem Terminum: nam albedo est similis (puta albedini) albedo non est similis (puta nigredini) non sunt oppositæ:

ccccxxi. Similiter: id est, eadem ratione & modo; hinc non sunt oppositæ, Paulus orat (puta ferventer,) Paulus non orat (puta tepidè:)

RESOLUTIO II.

ccccxxv. **D**ico 2. clarum esse, abstracta non multiplicari, nisi secundum propriam substantiam multiplicentur.

ccccxxvi. Probatur, quia illa ut summum sunt concreta metaphysica, quæ rectum realiter distinctū ab obliquo non involvunt, ergo &c.

ccccxxii. Eodem tempore: hinc, Ioannes dormit (puta de nocte:) Ioannes non dormit (puta de die) non sunt oppositæ.

RESOLUTIO II.

ccccxxiii. **D**ico 2. Tres sunt oppositarum species, contrariæ, subcontrariæ, & contradictoriæ; quia verò subalternæ juvant ad explicandam oppositionem, illis adjici solent:

ccccxxiv. Contrariæ sunt oppositæ universales, ut omnis homo est bonus, nullus homo est bonus:

ccccxxv. Subcontrariæ sunt oppositæ particulares, vel indefinitæ, ut aliquis homo est bonus, aliquis homo non est bonus; vel homo est bonus, homo non est bonus:

ccccxxvi. Contradictoriæ sunt oppositæ, quarum una est universalis, altera particularis, vel indefinita; ut omnis homo est bonus, aliquis homo non est bonus, vel homo non est bonus:

ccccxxvii. Subalternæ sunt duæ propositiones constantes eodem prædicato & subjecto ejusdem qualitatis (& hinc patet quomodo non sint veræ oppositæ) sed non quantitatis, ut universalis affirmativa, & particularis affirmativa, omnis homo est rationalis, aliquis homo est rationalis: Vel universalis negativa, & particularis negativa, nullus homo est brutum, aliquis homo non est brutum. Hic

ccccxxviii. Adde, Universalem dici subalternantem, particularem verò subalternatam: hæc omnia habes in subiecta Tabula.

TABVLA OPPOSITORVM



RESOLUTIO III.

cccxxxix. **D**ico 3. Propositionum oppositarum leges sequentes recte assignantur.

Contrariarum.

cccxix. **C**ontrariæ non possunt esse simul veræ, possunt tamen esse simul falsæ: Ratio est, quia aliàs cum ex universali inferatur particularis, duæ contradictoriæ essent simul veræ: **II.**

Subcontrariarum.

cccxli. **S**ubcontrariæ possunt esse simul veræ (puta in materia contingenti) non verò simul falsæ: Ratio est, quia aliàs cum ex falsitate Subalternatæ recte inferatur falsitas Subalternantis, duæ contradictoriæ essent simul veræ. **III.**

Contradictoriarum.

cccxlii. **C**ontradictoriæ non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ: veritas hujus legis satis constat per lumen naturale cuique ingenitum; quia una negat, quidquid altera affirmat, defectu cuius non sunt contradictoriæ, aliquis oculus est necessarius ad videndum, nullus oculus est necessarius ad videndum, quia prima affirmat disjunctivè aliquem oculum esse necessarium, alia negat copulativè tantum. **IV.**

Subalternarum.

cccxliii. **E**x veritate subalternantis sequitur veritas subalternatæ; non verò ex falsitate illius, falsitas hujus: quia scilicet subalternata si vè particularis & indefinita pauciora requirit ad sui verificationem, quam requirat universalis.

cccxliv. Adde tamen ex falsitate subalternatæ sequi falsitatem subalternantis; non verò ex veritate illius, veritatem hujus: Prior pars patet, posterior probatur ut ante.

cccxlv. Petes I. an hæ sint oppositæ, *omnis homo est sanus, omnis homo est ager*: Respondeo non esse secundum formam, quia non sunt affirmatio & negatio &c, esse tamen secundum materiam, quia includunt prædicata contraria.

cccxlvi. Petes 2. an hæ sint oppositæ, *Paulus est bonus, Paulus non est bonus*: Respondeo non esse secundum materiam, quia Aristoteles hîc ad materiã oppositorum requirit subjectum universale, ut in subcontrariis: esse verò secundum formam, quia præterquam quòd illis conveniat lex contradictoriarum, sunt affirmatio & negatio &c.

DVBIVM II.

Quid Equipollentes, & quæ earum Leges.

RESOLUTIO I.

cccxlvii. **D**ico 1. Propositiones Equipollentes sunt diversæ propositiones constantes eodem prædicato & subjecto, sed diversis

signis idem significantibus: dignoscetur hæc æquipollentia ex tribus legibus hoc versu contentis.

Pra, contradic, post contrà, pra postque subalter.

RESOLUTIO II.

cccxlviii. **D**ico 2. propositionum æquipollentium leges sequentes recte assignantur.

PRIMA LEX.

cccxlix. **L**ex I. continetur his verbis *pra contrà*, id est, si negatio præponatur signo & subjecto alicujus propositionis, reddetur æquipollens suæ contradictoriæ, ut hæc propositio, *omnis homo est bonus*, fit æquipollens suæ contradictoriæ, quæ est, *aliquis homo non est bonus*; si subjecto &c signo illius præponatur negatio, & dicatur, *non omnis homo est bonus*, id est, *aliquis homo non est bonus*: deinde si dicatur, *non aliquis homo non est bonus*, hæc propositio *aliquis homo non est bonus*, fit æquipollens suæ contradictoriæ, *omnis homo est bonus*.

SECUNDA.

cccl. **S**ecunda continetur his verbis, *post contrà*, id est, si negatio postponatur subjecto propositionis universalis, reddetur æquipollens suæ contrariæ; sic hæc, *omnis homo est animal*, reddetur æquipollens suæ contrariæ, *nullus homo est animal*, si subjecto postponatur negatio, & dicatur, *omnis homo non est animal*, id est, *nullus homo est animal*: Deinde si dicatur pro altera parte *nullus homo non est animal*, hæc propositio *nullus homo est animal*, fit æquipollens suæ contrariæ, *omnis homo est animal*.

TERTIA.

cccli. **T**ertia denique continetur his verbis, *pra postque subalter*, id est, si negatio præponatur & postponatur subjecto propositionis, reddetur æquipollens suæ subalternæ; sic hæc propositio subalternans *omnis homo est visivus*, redditur æquipollens suæ subalternæ, scilicet, *aliquis homo est visivus*, si ejus subjecto præponatur & postponatur negatio, & dicatur, *non omnis homo non est visivus*, id est, *aliquis homo est visivus*: Deinde si pro altera parte dicatur, *non aliquis homo non est visivus*, hæc subalternans, *aliquis homo est visivus*, fit æquipollens suæ subalternanti, *omnis homo est visivus*; nam *non aliquis homo non est visivus*, idem est ac *aliquis homo non est visivus*.

DVBIVM III.

Quid Propositio Modalis.

RESOLUTIO.

ccclii. **D**ico. propositio Modalis est, quæ uno ex his 4. modis Necessè, Impossibile, Contingens, Possibile afficitur; ut *hominem esse rationalem est necessè*; *hominem esse brutum est impossibile* &c: quia verò propositionum modalium rarus est usus, & difficilis, earumque cognita oppositio & æquipollentia ad quindenam memoriam confundit, nec ul-

træ

erā prodest, de illis plura taceo, & otiosum alioqui ad Dialecticam communem remitto.

D V B I V M IV.

Quid & quotupliciter propositio Reduplicativa sumatur.

R E S O L U T I O I.

eccliii. **D**ico 1. Repertæ sunt à Philosophis quædam particulæ, ut indicarent sensum formalem, quas appellarunt Reduplicativas; quia nempe terminum aliquem geminant, sive reduplicant: ut *Petrus in quantum homo est rationalis*; huiusmodi autem sunt hæc & similes, in quantum, quatenus, secundum quid, quia ratione, quia tale &c. Porro aliquandò reduplicatur idem terminus, ut *homo quia homo est visibilis*: aliquandò reduplicatur alius priori superadditus, ut *homo quia rationalis est visibilis*.

R E S O L U T I O II.

eccliv. **D**ico 2. particula reduplicativa rectè à philosophis dupliciter sumitur; reduplicativè videlicet, & specificativè: reduplicativè sumitur, quando illa particula denotat causam adæquatam, ob quam prædicatum conveniat subiecto. v.g. *Homo quatenus rationalis est visibilis*; ubi *ly quatenus* denotat rationale, quod est causa adæquata visibilitatis, quæ convenit homini; æquivalens enim isti propositioni causali, *homo quia rationalis est visibilis*. Specificativè sumitur, quando particula reduplicativa non reduplicat causam adæquatam, sed vel causam inadæquatam, vel specialem conditionem, propter quam prædicatū conveniat subiecto, ut ignis quatenus approximatus est urens. Vbi *ly approximatus* est conditio, propter quam *ly urens* conveniat igni: Vel denique, quando denotat rationem quamdam sive qualitatem, ob quam prædicatum conveniat subiecto. v.g. *ager quatenus ager sanatur*; aer quatenus tenebrosus illuminatur.

ecclv. Petes, quænam sit causa inadæquata?

ecclvi. Respondeo, causa inadæquata est, quæ minus latè patet quam prædicatum, id est, sine qua prædicatum esse potest. v.g. *homo quatenus homo est sensibilis*, *ly homo*, qui reduplicatur, minus latè patet quam *ly sensibilis*, nam sensibile dicitur, & de omni homine, & de omni bruto.

ecclvii. Respondeo 2. causa inadæquata, est illa, quæ magis latè patet quam prædicatum, ideoque esse potest sine prædicato, v.g. *homo quatenus rationalis est Philosophus*; nam *ly rationalis* esse potest absque eo, quod sit Philosophus.

D V B I V M V.

Quid Propositiones Reflexivæ, & falsificantes, & an vera aut falsa.

R E S O L U T I O I.

ecclviii. **D**ico 1. Propositio Reflexiva est, quæ suprà se reflectit, aliquid de se ipsa affirmando vel negando; ut si hæc propositio *homo est animal*, dicat *verum enuntio*; vel hæc, *homo est lapis*, dicat *falsum enuntio*: Si verò propositio vera de se affirmet, quod sit falsa; ut si hæc propositio, *homo est animal*, de se affirmet *ego falsum enuntio*, *ego sum*

falsa &c; & econtrā, si de se neget, quod sit vera; ut si hæc propositio, *homo est animal*, de se neget, quod sit vera, *ego non enuntio verum*, *ego non sum vera* &c, dicitur falsificans: quod autem sit falsificans, patet, quia cum prima propositio categorica v.g. *homo est animal*, sit intrinsecè propositio vera, & intrinsecè dicat *ego sum vera*, si addatur, *ego sum falsa*, falsificatur, quia hæc ultima reverà est falsa: eo quod æquivalenter dicat: *Ego propositio vera sum propositio falsa*. Et idem est de se negante quod sit vera, quia cum prima propositio categorica, ut *homo est animal*, sit intrinsecè propositio vera, & intrinsecè dicat, *ego sum vera*, si addatur, *ego non sum vera*, falsificatur; quia hæc ultima reverà est falsa, eo quod æquivalenter dicat: *Ego propositio vera non sum propositio vera*.

ecclix. Loquere proportionaliter de propositionibus falsis; illæ enim sunt falsificantes, si de se affirmant quod sint veræ, vel negent quod sint falsæ: undè cum omnes propositiones de futuro contingenti, ex dicendis infra, sint determinatè veræ vel falsæ, ad hoc ut de falsificante iudices, attende semper ad qualitatem primæ propositionis categoricæ, & dic reflexivam propositionem esse falsificantem, si affirmet quod propositio vera sit falsa, vel neget non esse veram; & affirmet quod propositio falsa sit vera, vel neget non esse falsam. Undè non pauci hæc propositionem turbantur, *Petre si facias primam propositionem veram, Deus dabit tibi gratiam*: Et prima propositio sit hæc, *Deus non dabit mihi gratiam*, & putant hic concedendum duo contradictoria esse simul falsa; sed hoc non facile concessero; sed cum veritas propositionis conditionatæ pendeat à veritate conditionantis, quæro an hæc propositio conditionans, *Deus non dabit mihi gratiam*, æquivalenter dicat *ego sum vera*, ut sit sensus, *ego propositio vera non sum vera, sum falsa* &c. Vbi est evidens falsificatio & in terminis contradictio: si falsa, loquere proportionaliter. Resolve similiter hanc propositionem, *Petre primum quod dices, verum erit*, & primum quod dicat *Petrus, sit, Paule tu mentiris*: Vel enim primum quod dicit *Petrus*, est determinatè verum vel determinatè falsum; si verum, æquivalenter dicat, *ego prima propositio, quam dicit Petrus, sum vera*, & hæc *Paule tu mentiris*, æquivalenter dicat, *ego prima propositio, quam dicit Petrus, non sum vera, sum falsa* &c, ut sit sensus *ego propositio vera, non sum vera, sum falsa* &c. Vbi est evidens falsificatio & in terminis contradictio.

R E S O L U T I O II.

ecclxi. **D**ico 2. propositiones falsificantes, si spectentur ut aggregatum ex utraque propositione, primā categoricā & aliā falsificante, nec sunt veræ nec falsæ; quia non habent determinatum objectum, sed concipiuntur per modum termini complexi, de quo nihil affirmatur aut negatur, sed hoc vel simile prædicatum expectant, sunt contradictoria, sunt impossibilia &c, ut fiat hæc propositio hypothetica, *ego propositio vera non sum vera, sunt contradictoria, sunt impossibilia* &c: si verò singulæ seorsim spectentur, una est vera, altera falsa, prout de contradictoriis omnes fatentur.

ecclxi. Dices ex R.P. Comptono hic, illæ propositiones & similes sunt falsæ, quia non solum de se affirmant falsitatem, sed etiam veritatem; ergo sunt falsæ, quia verum ex integra causa, falsum ex quolibet defectu.

Respon-

CCCLXII. Respondeo negando assumptum, quia ut aggregatum nihil affirmant magis, quam propositio categorica ut propositio, sive ut aggregatum ex subiecto, copula & prædicato; affirmet aut neget

prædicatum de subiecto; sed est terminus complexus: in se tamen aliquid, affirmat aut negat, sed ut sic non spectatur ut aggregatum &c, ut patet.

DISPUTATIO VI.

De Definitionibus & Divisionibus.

D V B I V M I.

Quid sit Definitio & quatuorplex.

R E S O L U T I O I.

CCCLXIII. **D**ico 1. Definitio est dictio naturam rei explicans; ut animal rationale respectu hominis: quod enim homo confusè, animal rationale distinctè significat. Pro clariori tamen definitionis intelligentia

CCCLXIV. Adverte 1. definitionem non debere omnimodè ac tam perfectè ac potest; naturam rei explicare; quia sic definitio deberet omnia genera superiora explicitè continere, quod esset nimis prolixum; sed, si naturam rei, valde clarè, & clariùs, quàm vox, cuius significatum defini dicitur, explicet, sufficit.

CCCLXV. Adverte 2. in definitione tria reperiri; definitum, genus definiti, & differentia definiti. Definitum est id, cuius natura per definitionem explicata est, ut homo in definitione supra. Genus definiti est id, quod est commune definito & alteri distincto à definito, ut animal ibidem; nam est commune homini & bruto. Differentia definiti, est id quo definitum ab omni alio differt, ut rationale ibidem: nam est id, quo homo ab omni alio à se differt.

CCCLXVI. Adverte 3. tres esse bonæ definitionis leges.

CCCLXVII. 1. Vt sit clarior definito, quia aliqui naturam definiti non explicaret; unde sequitur definitum non posse ingredi definitionem suam, quia idem non potest esse seipso clarius, aut seipsum explicare.

CCCLXVIII. 2. Vt definitum & definitio materialis sive objectiva converti possint, & ab uno ad aliud consequentia valeat; quia definitio & definitum, unum sunt magis & minus explicatum; hinc sequitur, est homo, ergo est animal rationale, &c è contrà.

CCCLXIX. Dixi, definitio materialis sive objectiva, quia nimis clarum est definitionem formalem non converti cum definito, ut dictio naturam rei explicans cum homine; licet enim rectè dicatur, homo est animal rationale; non rectè tamen dicitur, homo est dictio naturam rei explicans.

CCCLXX. 3. Nè habeat aliquid otiosum, aut nè desit illi aliquid necessarium, ad explicandum rei naturam: unde hæ hominis definitiones sunt vitiosæ: Homo est animal rationale implume, homo est animal sensitivum, homo est vivens, quia 1. & 2. superabundat, nā implume est accidens, non pars essentialis hominis, sensitivum continetur implicitè in animali. 3. Deficit, quia homo est sensitivum rationale.

R E S O L U T I O II.

CCCLXXI. **D**ico 2. Definitio est duplex: una rei, & est definitio supra tradita; alia nominis, & est dictio explicans significationem nominis, ut vox homo est dictio significativa animalis rationalis. Definitio rei subdividitur in essentialis & descriptivam. Essentialis est dictio explicans naturam rei per prædicata essentialia; ut homo est animal rationale: prædicata autem essentialia sunt illa, sine quibus res nec esse, nec concipi potest.

CCCLXXII. Descriptiva seu descriptio est dictio naturam rei explicans per accidentia illi propria; ut homo est animal risibile, bipes, rectum, &c: accidentia autem sunt, quæ adveniunt rei in sua essentia completè constitutæ.

CCCLXXIII. Definitio essentialis subdividitur in physicam & metaphysicam. Physica est dictio naturam rei explicans per partes essentielles physicas, id est, materiam & formam; ut homo est compositum ex corpore & anima rationali: Metaphysica est dictio naturam rei explicans per partes essentielles metaphysicas, id est, genus & differentiam; ut homo est animal rationale.

CCCLXXIV. Petes an omnis definitio metaphysica constet genere & differentia?

CCCLXXV. Respondeo affirmativè, intelligendo per genus prædicatum aliquod commune, sive univocum, sive purè æquivocum; nam si deberet constare genere univoco, jam definitio entis non foret definitio, cū pro genere habeat id, commune ad existens, & chymæram; entis autem definitio hæc est, Ens est id quod potest existere. Iy id verò definiti non potest, cum ad vitandum processum in infinitum, tandem aliquandò deveniendum sit ad unum conceptum per se clarum, qui amplius non possit per duos alios, scilicet generis & differentie, explicari.

D V B I V M II.

Quid Divisio, & quatuorplex.

R E S O L U T I O I.

CCCLXXVI. **D**ico 1. Divisio est dictio totum in partes suas distribuens; ut hominis alia pars est anima rationalis, alia corpus: ibi homo est divisum, anima rationalis & corpus membra dividenda. Pro clariori tamen divisionis intelligentia

CCCLXXVII. Adverte, tres esse bonæ divisionis leges.

CCCLXXVIII. 1. Vt sint pauca membra dividenda, nè oriatur confusio; unde vitiosa est hæc animalis divisio, animalium aliud equus, aliud leo, aliud homo &c; sed hæc valet, animalium aliud homo, aliud brutum.

CCCLXXIX. 2. Vnum membrum dividens non debet

bet includi in alio; unde hæc est vitiosa animalis divisio, *animalium aliud homo, aliud rationale*, quia rationale includitur in homine.

CCCLXXXI. 3. Ut membra dividenda adæquent divisum; hinc non est bona hominis divisio, *hominis alia pars corpus, alia unio*: nam deest una, scilicet anima rationalis.

RESOLUTIO II.

CCCLXXXII. **D**ico 2. Divisio est duplex: una rei, & est quæ res distribuitur in suas partes; ut *homo supra in animam rationalem & corpus*.

CCCLXXXIII. Altera nominis, & est quæ nomen in multiplex significatum distinguitur; ut hic *gallus in gallum Francum & gallum gallinaceum*: ne tamen

diutius in divisionum speciebus assignandis, quam par sit, hæreamus.

CCCLXXXIV. Adverte, pro multiplicitate partium, multiplices assignari posse divisiones: Divisio enim est actualis, si partes actuales; potentialis, si potentialis; physica, si physica; metaphysica, si metaphysica; subjecti in accidentia, si partes subjectum & accidentia.

CCCLXXXV. Petes an Definitio & Divisio distinguantur?

CCCLXXXVI. Respondeo, Divisionem totius potentialis, siue superioris in sua inferiora, non esse definitionem illius superioris: quia animal non rectè definitur, *aliud homo, aliud brutum*, in quæ tamen dividitur; totius autem actualis in partes actuales, esse idè cū definitione totius actualis; quia animal rectè definitur, id, *cujus alia pars est vivens, alia sensitivum*.

DISPUTATIO VII.

De Discursu, & ejus Speciebus.

CCCLXXXVII. **D**iscursus communis est ad syllogismum & alios argumentandi modos; ideoque de discursu, priusquam de syllogismo, nobis disputandum est. Quare sit

DUBIUM PRIMUM.

Quid Discursus & quotuplex.

RESOLUTIO I.

CCCLXXXVIII. **D**ico, discursus propriè est motus ab una propositione ad aliam, idque per analogiam ad cursum localem, qui est motus ab uno loco ad alium, desumptam. Discursus autem necessitas provenit ex limitatione nostri intellectus, eaque majori, quam Angelici; quia multa in causis aut seipsis, prout illi, non penetramus; unde fit, quod ad alia ex aliis, per motum propositionis in propositionem procedere debeamus.

RESOLUTIO II.

CCCLXXXIX. **D**ico 2. Dividitur 1. Discursus in formalem & virtuales.

CCCLXXXX. Virtualis est unus actus indivisibilis cognoscens unam propositionem objectivam ex alia, & hic dicitur communiter convenire Deo & Angelis, qui unico actu causam & effectum cognoscunt.

CCCLXXXI. Formalis est cognitio unius propositionis ex alia per cognitionem realiter distinctam cognita, sic ut confitetur saltem duabus realiter distinctis.

CCCLXXXII. Dividitur 2. in Successivum & Causalem.

CCCLXXXIII. Successivus est, cum una cognitio ita sequitur aliam, ut prior non causet secundam, sed tantum merè per accidens & casu sequatur; ut *Deus est in Cælo, ergò baculus in angulo*.

CCCLXXXIV. Causalis est cum posterior, cum dependentia à priori inferatur; ut *Petrus est homo, ergò est animal*: hæc autem dependentia in eo consistit, quod prior cognitio contineat rationem propter quam conclusioni assentiri debeamus.

CCCLXXXV. Alias divisiones, in discursum for-

malem & objectivum, vocalem & scriptum, omitto; quia satis deduci possunt ex divisionibus similium propositionum & terminorum. Quare alter

CCCLXXXVI. Dividitur 3. in syllogismum, Inductionem, Exemplum, Entimema, Dilemma, Instantiam, Apogogen, Syllogismum Physionomicum & Soritem.

CCCLXXXVII. De Syllogismo, dubio sequenti, CCCLXXXVIII. Inductio est à singularibus ad universalis progressio; ut *Petrus est risibilis, & sic de cæteris, ergò omnes homines sunt risibiles*. Ut sic inductio est Entimema; si verò addas hoc subsumptum, atqui *Petrus, Paulus, & sic de cæteris sunt homines*, quod addi debet, ut vim habeat, est Syllogismus.

CCCLXXXIX. Exemplum est duplex, aliud propriè, aliud impropriè dictum: Impropriè dictum est in quo ex uno singulari inferitur propositio universalis, v.g. *S. Petrus penitens obtinuit veniam peccatorum, ergò omnes penitentes obtinebunt veniam peccatorum*.

CCCC. Exemplum propriè dictum est cum ab uno singulari ad alterum singulare fit progressio propter paritatem rationis, aut aliquam similitudinem; ut *S. Petrus penitens obtinuit veniam peccatorum, ergò & Ioannes penitens obtinebit veniam peccatorum*.

CCCCI. Entimema est discursus, in quo duæ tantum sunt propositiones, quarum una inferitur ex alia; ut *Petrus est homo, ergò Petrus est animal*: quia autem in syllogismo tres esse debent, Entimema dicitur ordinariè syllogismus mancus, truncatus &c.

CCCCII. Dilemma est argumentatio bimembris sub distinctione proposita, cujus neutram partem sine captione concedas; sic Iudæi volentes Christum Dominum in verbis capere Matth. 22. proponebant hoc dilemma, *licet dare censum Cæsari, an non?* putabant enim Christum hoc dilemmate necessario circumvenire, & accusare, quidquid respondisset; si enim dixisset, *licet dare censum Cæsari*, intulissent ipsum non amare populum Dei, utpote qui contradiceret ejus libertati, quæ se putabant non debere servare Cæsari gentili: si dixisset, *non licet dare censum Cæsari*, cum tradidissent Herodi, tamquam inimicum Cæsaris, & reum læsæ Majestatis. Dilemma solvitur assignando medium inter duo extrema, ut fecit in proposito Salvator noster dicendo, *Reddite quæ sunt Cæsari, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo*: Quod si medium

medium dari nequeat, eò quod ex contrariis immediatis constet, constantissima & inexpugnabilis est argumentatio: unde ordinariè dicitur pro alterutra parte respondentem urgere.

CCCCIII. Instantia est illata propositio contrariè vel contradictoriè opposita negatæ.

CCCCIV. De Apagoge, Syllogismo Physionómico, & Sorite, vix ullus usus, quare pro illis vide Dialecticam.

D V B I V M I I.

Quid Syllogismus, & quæ Principia illius Directiva.

R E S O L U T I O I.

CCCCV. **D**ico 1^o Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam, ab eis qua posita sunt necessariò accedit, eò quod hæc sunt.

Genus definiti, sed remotius, est oratio, proximum verò discursus, sive oratio discursiva: cætera sunt loco differentia.

CCCCVI. Quibusdam positis, id est, duabus præmissis in modo & figura rectè dispositis. Quare excludit Enthymema.

CCCCVII. Aliud quiddam, &c. id est, diversum ab illis præmissis, scilicet conclusio; quare excludit syllogismos fatuos, in quibus idem per idem probatur, id est, in quibus conclusio non est notior præmissis.

CCCCVIII. Necessariò accedit, id est, concluditur necessitate consequentiæ, non consequentis; inter quas necessitates hæc est distinctio, quod necessitas consequentis sit, ubi conclusio est in se necessaria ob necessariam prædicati cum subiecto connexionem, ac proinde independentem à præmissis: necessitas verò consequentiæ est, quando conclusio necessariò sequitur ex præmissis, ob necessariam connexionem præmissarum cum conclusione, quia scilicet in illis continetur.

CCCCIX. Eò quod hæc sunt; id est, quia præmissæ

sunt legitimè dispositæ in modo & figura.

CCCCX. Hic Aristoteles Syllogismum in perfectum & imperfectum partitur.

CCCCXI. Perfectus est, qui conclusionem ita clarè infert, ut solo lumine naturali, & absque alio principio conclusio appareat legitima, tales sunt quatuor syllogismi primæ figuræ.

CCCCXII. Imperfectus est, qui non ita clarè conclusionem infert, sed indiget alio vel aliis principiis, putà conversione vel transpositione præmissarum, ut appareat conclusio legitima.

R E S O L U T I O I I.

CCCCXIII. **D**ico 2^o pro principiis Syllogismorum directivis, duo sequentia rectè assignantur, ad eaque cætera reducuntur.

CCCCXIV. Primum, illudque syllogismorum affirmativorum, tale est: *Quidquid removetur à subiecto universaliter sumpto, removetur ab omni quod subsumitur sub illo.*

CCCCXV. Secundum, illudque syllogismorum negativorum, tale est: *Quidquid removetur à subiecto universaliter sumpto, removetur ab omni, quod subsumitur sub illo.*

Additamen ea, in his principiis communiter receptis fundari; pro affirmativis, *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: & pro negativis, *Quæcumque non sunt eadem uni tertio, non sunt eadem inter se*; si tamen hoc modo intelligantur, *Quæcumque sunt eadem uni tertio universaliter sumpto, si sit terminus universalis: Aut uni tertio incommunicabili, si sit terminus singularis, ut Deus respectu Patris, Filii, & Spiritus Sancti, sunt eadem inter se*: & *Quæcumque non sunt eadem, &c. Non sunt, &c.*

Hic ordinariè à Summulistis tractatur de Syllogismorum Conversione, & Figuris. Item & de Topicis, sed quia hæc apud omnes communia, & eorum pleraque per se attendenti nota, ad communem Dialecticam Lectorem remitto. Pro eo tamen, quod valdè utile est, sit ad præsentem Tractatum.

A P P E N D I X

De Brevi Philosophiam hanc docendi, eique Studendi Methodo.

CCCCXVI. **Q**uoniam Commentarius noster Philosophicus brevis est, nec subtilioribus dumtaxat Professoribus, aut Theologis accommodatus, verum etiam Philosophiæ Candidatis, qui ex libro impresso Philosophiam discere maluerint, quàm libros scribendo, sibi pectus frangere & tempus perdere; nonnullas hic subdono omnibus communes, ac utiles, tum docendi, tum studendi Methodos.

Consulta Philosophiam hanc docendi Methodus.

CCCCXVII. **H**viuscè Philosophiæ Professores, propter occurrentes difficultates, & sententias nostras post debitum examen sibi visas minus probabiles, Additamentarium breve suis Dis-

R. P. Francisci Bone ssei Logica.

ciplulis dictare poterunt, in hunc modum; *num. tali Logica, v. g. post tale verbum addes hoc, sive hanc probationem; hanc confirmationem; hanc objectionem; hanc solutionem; hanc quaestiuunculam. Hoc nota; hanc resolutionem, solutionem, &c. loco illius. Quod Professoribus est factu facillimum, Studiosis commodissimum, & infra annum & medium expediendo Cursui Philosophico aptissimum.*

Brevis Philosophia Studendi Methodus.

CCCCXVIII. **O** Ratio semper studium præcedat, quâ lumen & adiutorium in penetrandis emergentibus difficultatibus, impetrari possit.

Solis dictatis penetrandis incumbatur: omnes eorum Resolutiones, Probationes, Objectiones, Responsiones, &c. diligenter examinentur; & si quid difficultatis in oppositam partem occurrat,